



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Neapolitana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69709)

dem Pagi viros incessit. Tandem cum nostro Sacerdoti discedendum illinc esset, cum Baro, tum Magistratus pacto conuenerunt, vt diuturna lis dirimeretur. Speratur Deo bene iuuante, id negotij felicem euentum consecuturum.



## PROVINCIA NEAPOLITANA.

**H**ABVIT hæc Prouincia Socios omnino quadringentos nonaginta quatuor, id est Sacerdotes centum sexaginta tres, è quibus Magistri viginti vnus, Præceptores non Sacerdotes viginti quatuor; Discipuli nonaginta octo; Coadiutores centum quadraginta duo: Nouitij septuaginta sex. Hi omnes in quatuordecim loca distributi, Domum Professam vnã, Probationis vnã, Collegia duodecim, Missiones quatuor. In Domo Professa Neapolitanana septuaginta quatuor, in Collegio sexaginta supra centum; in Domo Probationis octoginta quinque. In Lupiensi Collegio viginti septem. In Aquilano duodecim. In Beneuentano totidem. In Nolano quindecim. In Salernitano tredecim. In Catacensi & Cosentino vtrobique septemdecim. In Bouensi & Theatino etiam vtrobique duodecim. In Barolitano quatuordecim. In Massensi viginti quatuor. Missiones sunt Carbinienfis, Astuncensis, Neritina, Petrapagana. Mortui quatuordecim. Admissi vndecim.

DOMVS



DOMVS PROFESSA  
NEAPOLITANA.

**H**Oc anno discesserunt è viuis Sacerdotes tres, quorum primus Pater Iosephus Saniulianus Hispanus è regno Valentiaë, professus quatuor votorum & Confessarius Comitis Beneuenti, qui id temporis regias vices in hoc regno gerebat, quem dum agrotaret inuisit; filioſque ſuos pluries ad eum miſit inuiſendum: idem fecerunt multi regij conſiliarij, alijque proceres. Vir ſane maximæ pietatis, ac demiffionis; iſque ab omnibus habitus eſt, vt præ animi ſanctimonia, oriſque modestia & compositione, ad eum omnes cum viri nobiles, tum etiam pauperes confugerent; quorum indigentias Proregi ex animo commendabat. Maxime eum diligebant ceterarum familiarum viri Religioſi, quem ex morbo decumbentem magna charitate inuiſerunt. In primis Reuerendus Pater Prouincialis è Dominicana familia, qui quidem brachium S. Thomæ Aquinatis è Monasterio in cubiculum noſtri Patris demorientis apportauit: vbi ara erecta, collocatumque in ea brachium, candelis vtrinque accenſis. Egrotus habito primum ad D. Thomæ reliquias colloquio, pietatis, ac lacrymarum pleno, deinde animam, noſtramque maxime Religionem commendauit ijs verbis, quæ à circūſtantibus lacrymas vberes elicuerunt. Tandem apoſtemate acriter punctus dies omnino duodecim, magnæ patientiæ ſigno edito, migrauit in cœlum Pridie Kal. Maias. Inſequenti die idem Pater Prouincialis

Domini-



Dominicanorum cum fratribus quinque & viginti, Defunctorum matutinas preces, & missam in ara maxima nostri Templi pro eius manibus concelebrauerunt, optima cum ciuitatis frequentia, atque exemplo. Alter, qui vita defunctus est, Pater Cornelius Saia Castri Sancti Angeli ad Fafanellas, Coadiutor spiritualis annorum quinquaginta duorum, vixerat verò in Societate annos viginti sex, vir maximi feruoris, simplicitatis, ac demissionis, & in laboribus omnino infractus. Tertius, fuit Pater Fuluius Abenantus Matalunensis, Coadiutor spiritualis, annorum quinquaginta quatuor, in Societate vixerat annos duos, & viginti: is, quoniam in eundem fortè diem incidit in morbum, quo die Pater Cornelius decessit, se breui moriturum prædixit, & verba exitus comprobauit; cum enim quatuor aestatis menses hydropisis insanam sitim esset perpeffus, mox cum sanguine vitam obiuit XI. Kal. Octobris.

CONFESSIONVM maximus fuit numerus mense Ianuario, quo mense Neapolitana Ciuitas in octauum vr̄bis patronum retulit D. Thomam Aquinatem; eo apparatu, quo maior nostris hisce temporibus non alter est visus. Vir quidam pietas tabulas duas & triginta trecentorum ducatorum nostro templo donauit, humana mensura altiores, inque oui figuram constructas; quarum nonnullæ Christi cruciatus, quos ille peculiari-ter erat commeditatus, repræsentabant. Denique ad cerea lumina & musicorum cantum, aureorum ferme septingentorum expensum est. Ad Templi quoque ornamenta duo millia aureorum & septingenta donata; è quibus vnus, & alter ad altaria ornatus sericus, ex viridi damascena veste-  
factus



factus cum ornamentis : Tertius quoque aræ ornatus cum triplici Sacerdotali indumento, ex Attalica purpurea veste auro intexta. Quartum indumentum ex eodem textili viride est. Sacrarum reliquiarum capsula eburnea, cum statuis ex aurichalco inauratis, è reliquijs S. Lucae. Crux, & bina trium palmorum candelabra ex crystallo inaurata. Sena auricalchica. Sena lignea affabrè incisa, atque inaurata. Sena Angelorum paria; sacrum tabernaculi conopæum ex auro textili. Omitto cætera minoris pretij.

VIR nobilis, qui duos, intra mensem, filios extinctos in nostro templo tumulari voluit, bina parietina peristromata nobis donavit, alterum quidem Damascenum inauratum; ex vno proprijs sumptibus quatuor Sacerdotum vestes sacrae confectæ: alterum verò ex argenteo textili, quadruplicem quoque ad altaria sacrum ornatum suffecit. Hoc anno perfectum etiam est Domini Ferdinandi Iornarij sacellum, ad quod omnia sua bona moriens addixit, & sacellum quidem aureorum amplius quindecim millia exhausit. Altaris duntaxat ornamenta bis mille. Hic etiam dies parenti nostro B. Ignatio sacer, maxima celebritate peractus est. Templum atque aræ sericis ornatae vestibus. Beati Ignatij effigies ex altera parte aræ maximæ; ex altera verò parte Beati Xaverij sua quoque effigies appensa est. Vtraque prægrandis satis, magni pretij. Inde pietas erga parentem nostrum Ignatium adeò aucta est, vt palatia quamplurima eius, reliquorumque nostrorum beatorum tabellis niteant; compluresque, quibus filij nati sunt, iisdem Ignatij nomen indiderint. Argenteæ tabellæ, in quibus beneficia

ab



ab eodem accepta, visuntur incisa, magnæ, plurimæque pendent.

MIRACULA, quæ noster in hac Vrbe patrens ediderit, præter ea, quæ legentur apud Pontificem, cum erit in Sanctorum numerum referendus, duo maximè admiranda. Beati frustum Domino Hyeronimo Maio suppositum est, qui hydropicus, & maximè tumidus, è medicorum sententia vix aberat à morte. Manè igitur e somno euigilat sine tumore, ac prorsus incolumis. Idem frustum adhibitum est ad Hyppolitam Caracciolum, Airolensium Ducis filiam, recentis monasterij professam, cui incurabilem morbum primò extinxit; mox stomachi, & capitis dolorem vehementem; quo triennio laborauerat, omninò compressit, vt ad consueta monasterij officia subinde perrexit. Sacerdos ex Augustiniana familia maligna febris correptus, quem medici desperauerant, adhibita ad pectus B. Ignatij effigie, conualuit. Sodalitates augentur in dies. Et nobilium quidem virorum sodalitas, quæ id temporis decem aureorum millia coegit, ad pauperes vercundantes; septingentos alios nummos aureos ad parietinum peristroma, ex Attalica veste aurea impendit: alia mille coguntur iam ad perficiendum.

BISINIANENSIVM Principis vxor nostræque fundatrix, initiū fecit extruendæ habitationis nostræ. Ergo cœptum est iaci fundamentum die virginis, ac martyri Catharinæ sacro; eodem ferè tempore, retro autem vigesimo primo anno, cœptum est ædificari templum. Ex hac domo missio facta est, flagitante Reuerendissimo Atellarum Episcopo, magno cum fructu animarum. Nam præterquam quòd odia multa restincta, aliena-

C

que



que bona reddita sunt: Sodalitas est instituta, quæ res antea tentata pluries, nunc tanquam desperata posthabebatur. Vicarius, Clerus, virique primarij, de illa erigenda ne cogitandum quidem esse dicebant. Noster igitur Sacerdos, Deo, Beatæque innixus Virgini, facultate petita, quotquot reperiebat, ipsius Deiparæ Virginis nomine inuitabat ad ædiculam, ad id destinatam, quos tamen monitos volebat, vt B. Virgini promissis starent. Insequenti die triginta confluxere diuinis exercitationibus ita oblectati, vt dominico die quisque socium adduxerit ad sodalitateu. Ipso Purificationis die creati magistratus in sodalitie, præscriptæque leges viuendi ex instituto aliarum sodalitatatum; quæ res quantum attulerit fructum illi vrbi, sacramentorum restauratus vsus, frequentiaque declarat.

## C O L L E G I V M N E A - P O L I T A N V M .

**N**OVI ædificij primum aliquando lapidem, ac fundamenta iecimus in ipsa rei familiaris tenuitate, & aris alieni contractione non leui, sed nimirum, & diuinæ prouidentia causa committenda erat, & verò in maximis locorum angustijs versabamur. Scholas latibula potius, aut carceres diceres; videres adolescentulos, eosque ferè nobiles, tanquam in pistrinum arctè contrusos; reliquæ verò domus pars rimis iam pridem fatiscere ceperat: Itaque nos coarctari oportuit, vt defunctæ Domus ruina lapides, ac cæmenta nouæ sufficiant. Iam vero species ædificij est, quæ  
decus



decus & magnificentiam non mediocrem religio-  
se præferat: Constituitur in quadrati peristylij  
formam satis amplam. Excurret vndique porti-  
cus dignæ peripateticorum Lycæo, quas pacasta-  
des, & epistylia muniunt simul, & ornant. Adde  
augustam aulam ad habendas tragædias. Scholæ  
rum tyronum frequentia, tum nobilium adoles-  
centium splendore insignes sunt; videntur illæ se-  
minaria quædam omnium ordinum, non modo  
nostri; ea res cœnobitis affert lætitiâ non me-  
diocrem, gaudentque illos nostrorum disciplina  
institutos esse, & tanquam è nostra officina pro-  
diisse. Societati quidem addixere sese non pauci,  
ijque flores agri litterarij.

Hoc anno quatuor è nostri Collegii horto  
auultæ plantæ, cœlesti solo, vti speramus, adiectæ  
sunt; vnus rei familiaris administrator atque ad-  
iutor, in ipso iuuentutis flore præreptus est; reli-  
qui duo eiusdem muneris, longiore iam ætatis de-  
curso curriculo. Inter quos Vincentius Cozilia;  
qui non modo assiduis laboribus, atque industria,  
rei familiari incrementum sanè magnum attulit,  
sed in acerbissimis senectutis malis, lecto affixus,  
& pietatis, & iucunditatis exemplat fuit. Iam ve-  
rò & iunioris fratris importuna mors, acerbum  
iucussit omnibus dolorem, horroremque, erat  
is magna apud omnes expectatione, Theologiæ  
secundo anno, Philosophia verò tóta, non sine  
magna ingenii laude decursa: cum ecce in oppido  
procul ab Vrbe, ab ægrotante matre solatii loco  
acceritur, non ad exacerbandum dolorem: eo  
cum peruenisset, repentè diro correptus morbo  
lecto affigitur, atque in imis visceribus serpente  
malo, ad extremam vitæ metam adducitur, incre-



dibile est quàm bonam de nobis exteri homines opinionem hauserint, qui Iesuitas tam pio sine vitam claudere cernerent; quamquàm adfuit & eius germanus frater, & affinis alter, ambo è Societate, quorum inter manus occubuit. Dicitur illius species, vni è nostris eius valde familiari oblata, monuisse hominem, vt quoniam olim in audiendo sacro aliquantulum ambo confabulati erant, eam labeculam, quam ambo posthabuissent, confessione detergerent; se ob id purgatorijs ignibus satis fuisse vexatum.

E O D E M fere tempore vnicae sorori, quæ in cænobio degit, obtulit sese; de suo è vita decessu certam facit: orat vt germanum amorem in precibus pro se accuratè fundendis ostendat. Obstupuit illa, ceciditque prope intermortua. Rem deinde totam magistræ aperuit, quæ licet calamitatis non esset ignara, tamen consulto rem silentio presserat, ne sororem importunati nunciij acerbitate conficeret. Atque hæc non consopitæ mentis insomnia, sed vigilantis fuere. Venio nunc ad ea pietatis officia, quæ in tanto laborum æstu, quos literæ pariunt, minime prætermittuntur. Nam quantum studiorum laboribus otij superest, id totum alienæ salutis negotio datur. Alij Christianæ disciplinæ rudimenta pueros erudiunt, alij ad triremes, ad carceres, ad angiportus, alij ad plateas se conferunt. Incredibilis est hac in re hominum concursatio: fructus omnino excipiuntur vberrimi; acerbitates animorum intestinis accensæ odijs mitigatæ; longæua, & inueterata flagitiorum consuetudo radicibus extirpata. Illa etiam à nostris profecta. Quidam viginti ipsos annos in diuina lege traduxerat, precandi studio apprime deditus:



deditus : qui & lucem quandam è sacra hostia  
 profluentem se vidisse affirmabat, mox versa re-  
 rum ferie ita se carnis illecebræ tradidit, vt à malo  
 dæmone libidinis spiritum postularit, infandis ir-  
 retitus amoribus. Tandem post annos sex, diui-  
 na pietate percussus, animi labes, ac fæces decre-  
 uit abstergere. Sacerdotem è nostris adit, flagitio-  
 rum se vinclis exoluit, affirmat se incredibilem  
 omnino haurire doloris æstum ijs in corporis par-  
 tibus, quibus velut armis diuina iura violarat :  
 tum demum omni prorsus se cruciatu leuari, cum  
 vel se ad confessionem præparet, vel confessarij  
 pedibus aduolutus noxas eluat; cæterum se ar-  
 eana quadam, & continenti vi doloris miserè di-  
 uexari. Qua in re & summi vindicis ultio declara-  
 tur, & vero magna vis expiatorij sacramenti.

SED iam ad sodalitates, & piorum hominum  
 contubernia. Accidit aliquando, vt vnus ex ma-  
 iorum Sodalitate, quotidianas preces obliuione  
 correptus ommitteret : iam in lautiore ac spendi-  
 diore conuiuio accubuerat : vbi precum in men-  
 tem venit, exurgit, ac stomachi ægritudine simu-  
 lata, accurrit ad sacrum pensum, animi epulum  
 corporis anteponendum ratus. In Nosocomijs  
 mira eorum frequentia, mirus ardor administran-  
 di. Quidam cum eò profectus vlcerosum homi-  
 nem non semel contrectasset, domum regressus  
 se ipsum ferre vix poterat : auersabatur, ac res-  
 puebat sese : aquam igitur, qua manus ablueret,  
 quæritabat : cum in promptu non esset, interim  
 cœlitus illustratus meliorem induit mentem : suam  
 ignauiam detestari cœpit : & vt insigne victoriae  
 genus admirere; osculari, ac lingere eas manus  
 partes, quæ magis vlcerum fæce fuissent infectæ.



Alius cum in scatenem lepra hominem incidisset, in eumque omnia pietatis exercuisset officia; æger admiratus viri pietatem, atque constanti am grates agere cœpit; tum ille, ego verò, inquit, & grates tibi agere debeo, & immortales ago, qui pij operis patrandi ansam præbueris, simulque caput acclinans, leprosum hominem magna cum eius admiratione osculatus est.

Q V I D A M graui capitis dolore vexatus, administrandi nosocomijs consuetudinem subter fugere voluit: itaque inter immanem illam mephitim, & insanabilem vlcerum graueolentiam, grauedo capitis, ac dolor omnis prorsus euauit. Neque verò illa longè absunt à miraculo. Pater adolescentem filium, plane perditis moribus, ad honestam disciplinam reuocare conabatur instando, vrgendo. Barbarus parricida vitam, ac lucis vsuram auferre constituit ei, à quo ipse hausisset. Itaque lethale virus propinandum offert; inscius pater ebibit. Vix pestis late serpere cœperat, cum conceptę Virginis implorato numine, nullis prorsus antidotis, quasi ineptum sibi hospitium reperisset virus, per vomitionem regredi, & qua oris data porta diffugere. Age porro; nondum impię prolis expleta crudelitas est: iterum virus apponit, sed albicante, ac spumante lue, ipsa se pestis aperuit, patremque admonere visa est. Eodem ad sodalium profecto nascentis Domini nocte, fures domum totam depopulantur, exhauriunt: redeunti chirographum datur per nuncium à familiari quodam, qui extra urbem morabatur: incertus, quemnam ad amici vsum adhibiturus sit eam pecunię summam, posteriore hebdomada admonetur, vt gratis ea vtratur, qua re non mediocre



diocre debilitatæ suppellectili leuamen accessit.

Ex eadem conceptæ Virginis Sodalitate alumnus, dum per alienum rus iter facit, repente inermem oblatrantium canum cohors inuadit, affligunt solo miserum, ac primò vestes in frustra conscindere, deinde etiã manum hianti ore conserpere, perque illam detractum vsque ad sepem, spinis ac dumis asperam, acerbè vexare, sed conceptæ matris numen inuocanti, numen præsto fuit. Mox vbi tempestas illa desæuijt, non nisi impressorum dentium characteres, ac notas in manu agnouit, nulla prorsus vulnerum acerbitate. Ex eodem cœtu quidam è foro, multa iam nocte decursa, domum regressus, armatum hominem ante fores reperit cum comitatu; tum ore detecto, quod pallio delituerat, in eum impetum moliri videbatur: cum repente immani mole corporis, Augusto ore, ac mortali prope maiore ignotus alius vir adstitit, quasi cum eo confabulaturus; cuius aduentu ita deterritus est aduersarius, vt hominem blandè compellans, incruentus abscesserit. Creditum est cœleste aliquod numen prudentium virorum sententia, compertumque est sicarium illum delegatum à quodam, cuius causæ minime in foro fauisset. Alius diro afflictatus morbo, plane decocta salutis spe, visus est Christum Dominum cruce grauatum videre: tum ipse crucis extrema suis humeris conuectare; terram etiã sacris pedibus pressam lingere, osculari: quid tum? mane expeditus, & viribus integer è toro consurgit.

QV I D A M olim eius sodalitij accola, deinde transfuga, cum diris crurum doloribus vexaretur, ac prope totã pharmacopole penum exhausisset,



irrita impensa, tandem meliora concipiens animo vouit, se ita rediturum, ut nulla deinceps viuelli velit. Redit, & inter hebdomadae spatium perfecte curatur. Age porro, quid ille insignis animi candor in eiusdem Sodalitij adolescente? Hic vetulam ancillam domi habebat, quae fiduciae causa filiam, egregia forma, defuncto viro, ne forte corrueret, in eandem domum adduxerat. Iam in cubiculo literis operam danti adolescenti, adest malesana pestis accensa libidine; tum blando ore in eum oculorum velut amentata tela configere. Immotum adhuc cum videret, in studioque defixum, accedere propius, tentare iterum atque iterum, ut saltem ab eo respiceretur: tum ille iam sceleris impatiens, audacia castigata, ac nonnullis contumeliarum impressis aculeis, in malam crucem abire iussit, sibi aliud agendum esse, quam, ut detestabilem Erinnyn aspiceret. Neque vnquam dum ea domi fuit, ausus est integer adolescens oculos in illam attollere, quibus lethale virus aliqua ratione posset irrepere. Alius etiam iisdem laqueis diuina ope solutus est. Hac de sodalitia conceptae Virginis. Accedam nunc ad pia vulgarium hominum contubernia: incredibilis est hic ardor non modo in sua, sed in aliena etiam salute curanda. Nonnulli sunt, qui varijs sese coenobijs addixere.

I V V E N I S quidam plane perditus, ac meretricijs implexus amoribus, ab vno ex ijs ad meliorem vitae normam adductus est; sed nimirum flagitiorum consuetudine abstractus, incitabatur ad nefas. B. Virginis exposcit opem. Aderat primus mensis dies, cum sancti alicuius viri nomen in scheda impressu, adhibito pio apophthegmate,  
&



& acroamate singulis, forte præscribitur, Illud S. Gregorij contingit. Noli cessare ab oratione tua, quod enim tibi largiturus est Deus, non negabit, sed differt. Hoc quasi nuncio corroboratus, persistit in precibus; posteriore mense idem planè dogma omnino diuinitus illapsum obtigit. Itaque tantum animo concepit pietatis æstum: vt non modo veteri consuetudine se prorsus abdixerit, sed ineundi cœnobij consilium meditetur. Iam verò ijs, qui è Sodalitijs castris, quasi transfugæ recesserunt, adest vindex Deus, vt in eos sæpe omnia calamitatum genera coniurasse dicas. Contra vero bonorum conditio est, diuinam opem crebrò agnoscunt; illud sit satis. Ex ijs vnum in per-  
 uigilio quodam B. Matris, impotens equus affligit solo, calcibus impetit. Bis in vultum, & os immanem ictum intenderat, sed vsurpato virginis nomine, non nisi nares leuiter, & vix delibata potius, quam duriùs attrectata sunt.

QVI D illa inter medios literarum labores in mancipijs instituendis, & baptismo lustrandis nostrorum opera, & industria non reticenda? Ex iis intra duos annos, omnino centum ad Christianam religionem è Mahometi disciplina traducti sunt. Nec defuere, qui ad baptismum reseruati esse viderentur, paulò post extincti: præest ei muneri frater è nostris, qui omnes ciuitatis angulos, quàm sagacissimè odoratur, ecquis herus seruos habeat ex ea face. Accuratè ab eo labor impenditur in facta isagoge tradenda. Ea de re pauca è multis exempla depromam. Vexabatur immani morbo ser-  
 nus; postulat aduocari ad se fratrem è nostris, ait seniore virum obuersatum sibi esse ob oculos in somnis, qui extenta manu caput baculo percus-  
 ferit,



ferir, eaque verba subdiderit, Esto vir bonus. Se iam graui capitis dolore vexari, baptisate lustrari velle, ac Iosephi sibi nomen imponi. Mira pronunciabat, cupere iam se corporis vinculis exolui, ne deinceps aliqua daretur ansa peccandi; sed sacramenti vi repente confirmatus, paulo post à morbo conualuit. Illud etiam prætereundum non est. Eodem in nosocomio duo iacebant serui, alter alpina rupe durior, mitior alter, & à quo baptisma postulatum esset. Iam Sacerdos accesserat, interim duro etiam homini flectendo data erat opera, cum repente commotus exclamare, obtestari omnium fidem, ne se in tanto discrimine constitutum relinquunt; fieri posse vt repentino casu eadem nocte è viuis excedat, quam tum infœlicis animi conditionem futuram? quid multa? hic prius sacro fonte lustrandus fuit, quam alter, pro quo Sacerdos accesserat. Mox aliquot nummis è marsupio depromptis, partem nosocomio largitur, partem ei, qui se in baptismo sponsorem præbuisset; accedebat interdum frater è nostris, admonebat hominem, caueret deinceps ipsa cogitatione ab his, & illis flagitijs; exhorrescere ille, auertere os, & vel eorum audito nomine I E S U M inclamare; hac animi confirmatione extremum effudit spiritum.

A L I V S ex eadem Mahometi familia triremi addictus, sæpe se in Christi gregem cooptari velle promiserat, sed fociorum suasionibus reuocatus, eam mentem abiecerat. Admouentur à fratre nostro machinæ omnes. Acclinat ille aliquantulū animū, tum B. Virgini annunciatae addictos hebdomadarum dies, ieiunio celebrare sex ipsos menses recipit. Quo ita corroboratum animum sensit, vt  
 accedente



accedente festo eius die, omnino sacro se fonte  
expiare decreuerit: cum tot vndique difficul-  
tum scopuli in educendo homine à triremi obiecti  
sunt, vt frater desperata iam re, alia omnia cogi-  
taret; cum iter facienti per insueta viarum diuer-  
ticula, occurrit forte ædis sacræ regię præpositus,  
à quo res tota pendebat; is opem, operamque  
suam præbet, è triremi eductum seruum amplexat-  
ur, & baptismo lustrari, comuni cum gaudio, &  
voluptate iussit. Alius iam iam sacris expurgan-  
dus aquis, qui focium ad eandem mentem addux-  
erat, nescio quibus irritatus iniurijs à voluntate  
desciuit; morti proximus cum sacros latices po-  
stularer, accidit, vt tum noster frater, qui ei rei  
præest, & ipse iaceret æger: interim dum ab alijs  
res curatur, quibusdam iterum accensus contu-  
meliis miserè defunctus est, vt apertè constet,  
quam malum sit diuinis aliquando monitis ob-  
surdescere: longe dispar illud,

QVIDAM acri correptus morbo cum inui-  
feretur à nostro fratre, admiratus in eo beneuo-  
lentiã, & alienæ salutis studium, ita allici cœpit,  
vt Deiparæ imagines venerari cœperit, lychnum  
etiam ei accendere; tandem gladio, nescio qua de  
causa dirè confossus, ac lethaliter præruptis extis,  
vixit tamen, quousque iterum inuiseretur; tum  
baptismate lustratus à domesticis veniam petere,  
& ea pietatis indicia præferre cœpit, vt non sine  
sui heri lacrymis extinctus sit. Iacebat alius in no-  
socomio Christianæ religionis hostis, nullis om-  
nino machinis flecti poterat; precibus ab eo qua-  
situm est, vt saltem, cum se morti proximum sen-  
serit, resipiscat. Ad metam accesserat, cum diui-  
nitus excitatus sacrum fontem exposcit, abluitur,  
paulo



paulo post cum Sanctissimi Christi corpus cæteris porrigeretur ægrotis, inclamat ille, ac dominum suum sibi quoque tradi postulat, contendit. Cælesti refectus epulo, cum magna significatione pietatis occubuit. Postremum illud omnino celebre contexere liceat.

○ V I R erat generis splendore apprimè clarus, sed scelerū complurium, cui cum insigni lena consuetudo erat, reliquum familię constabat è Mahometicis seruis, & ancillulis plurimis. Horum nonnullos diris verberibus diuexatos, atque omnium suppliciorum acerbitate discruciatos, ad consciscendam sibi necem adduxerat, alij sese præcipites in puteos egerant, alij alio se genere mortis appresserant. Reliqui æstuante iam odio, atque inimis grassante visceribus, Dominum ipsum omnino perdere decreuerunt. Rem ancillis duabus cubiculi custodibus patefaciunt, à quibus fit aditus ad nefas, quid plura? intempesta nocte adoriuntur hominem dormitantem in ipso lupe complexu; tum secures expediunt, aliaque id generis arma. Obstupescentè, exilamantem, è cubili exurgere conantè dirè confodiunt, conscindunt, interimunt; labem etiam illam flagitiorum sociam lethali ictu perimunt, aufugiunt; deinde cursum in oppidum vrbi proximum; incolæ eorum aduentū admirati rem latiùs protulere; percrebescente deinde sermone, à militari cohorte capiuntur, in carceremq; detrusi morti addicuntur. Accedit frater qui rei catechisticę præest, hortatur ad purgandas animi labes baptismi aquis. Nihil illis durius, adsmantinos omnes reperit, præter ancillas paulò mitiores: multum laboris atque operæ impensum est, vt saltem alloquenti aures darent. Admota  
deinde



deinde sacrorum ossium apotheca, in qua & frustulum de B.P. Ignatij veste continebatur. Iterum ac sæpius oppugnata durities est, tandem expugnata. Vnus ex his, mulieres quasdam sibi in somnis obuersatas ante oculos, aiebat, fæda oris illuue, tetroque aspectu, inuadentibus similes, sed candidi viri interuentu, se ex earum manibus euasisse. Alius eum pietatis sensum præseferbat, vt sibi multò grauiorem catenarum molem deberi fateretur. Omnes in Christi cruci affixi imaginem intentis oculis rapiebantur ad mortem, vt spectatorum oculos ad pietatem excitarent. Tum ipso die S. Ianuarij, qui præcipuus ciuitatis patronus est, sacro fonte lustrati sunt.

E SODALITIS magna seges extitit eorum, qui se religiosæ vitæ vinclis obstrinxere. Ex ijs lectissimi ad Societatem nostram adscripti sunt. Inter quos patria quidam Olyssipponensi, parenti vnicus, cum coaptatus esset, conscius rei pater se ipsum comitem, ad tyrocinium eunti, præbuit gratulabundus. Mox maiore hausto numine, cum lacrymis patrem Prouincialem orat, vt se quoque in eundem cœtum cum filio adscribere velit; se litterarum expertem domestici administratoris munere libentissimè defuncturum. Et erat is grandior natu vir, & genere clarus. Alteri iam pridem adhuc adolescenti, sinistra valetudo aditū intercluserat, tandem implorata sæpius diuinæ matris ope, corroboratis viribus metam attigit; ac primo quidem bonis omnibus se abdixit, quibus aucta tyronum domus non leuiter, ab annonæ angustis respirauit. Idem planè germanus eius frater, qui in Collegio viuit, imitatione perfecit. Accedit Adolefcens ex antiqua clarissimaque familia, cuius de

Socie-



Societate ineunda consilium parenti cum innotuisset, experiundi causa filium ad ius civile abstrahit; ubi desiderij faces adhuc aestuare sensit; diuinæ voluntati cessit, currentem inuitat, hortatur, vrget. Is quam filio pecuniæ summam, foris impenderet; eam, & fortasse ampliorem, vniuerso cœtui, elargitur.

ACCÈSSIT alius, qui ab alterius familiæ religioso viro admonitus erat, caueret ab harpyis, nostrorum videlicet insidiis. Intelligeret, futurum sese seruum, luporum rapacium prædam: id tamen nihil obstitit, quominus, & nostrum confessarium conueniret, & animi sui consilium de Societate ineunda depromeret. Conscijs pater indolet primo, deinde vt maturè rem expendat, suadet, vt aliquem ex alia familia confessarium adeat, remque totam aperiat; expauit hîc confessarius adolescentis audito consilio, proponit inextricabiles difficultatum ambages, misereri se tenera illius atatis. Fore vt quam primum, studiorum causa, sanguinem excreet, læsis pectoris venis; ac demum, vt inutilis è Societatis nostræ finibus ablegetur. His machinis collabefactari animus adolescentis cœpit; tum ille, quin potius, inquit, in familiam nostram adoptari vis, in qua inter claros, & generis splendore illustres viros, maiori cum dignitate verferis? agnouit hic adolescens quem ad scopum omnia tela essent intenta. Itaque respondit, haudquaquam ea de causa dinino obsequio sese addicere velle, vt nobilium hominum amicitias aucuparetur; huiusmodi vitæ genus domi etiam suæ posse traduci. Iterum igitur nostrum adit confessarium, Societatem ardentissimo studio quærit, exposcit, adsciscitur. Alius quidam,



quidam cum eadem de re susceptum consilium reiecisset, oblata diuinæ legis violandæ occasione, ita exarsit animo, ut è Scyllæo freto omnino euadere, & ad Societatis portum quamprimum appellere constituerit.

## DOMVS PROBATIONIS NEAPOLITANA.

**E**VITA migrarunt Nouitij tres, quorum primus Sacerdos, cui nomen Lando de Albizis. Hic Anconam, quæ vrbs est in Piceno, ad natiuum cælum, valetudinis gratia missus, post menses aliquot, hectica febre consumptus domi suæ decessit. Alter Cæsar de Nouellis, qui dum iacuit, patientiæ eximiæ signa dedit, excreabat enim hepar frustatim: & vultus hilaris egregie quidem sibi, ceterum pusillo, vel timido, additum à Deo animum ostentabat. Cuius hilaritas tunc temporis augebatur, cum de beata vita sermo à nostris confereretur. Eius virtus præcipue erga valetudinarij præfectum, & medicum enituit. Quippe non alio quam Angeli nomine appellabatur à medico, qui etiam addebat nobis gratum, iucundumque esse debere, eius vim morbi augeri, ne tyro ad natiuum cælum mitti cogeretur, ac proinde Beati corpore nostrum templum priuaretur. Cum ex eo esset quæsitum, qui fieri posset, ut ei semper risus insideret, respondit dolorum quidem vim esse maximam, sed triplici capite subridere, quod perpeti se gauderet, quod spem subiret cælestis patriæ, quod dæmon eius hilaritate torqueretur? Extrema nocte colloquia mis-  
cuit

cuit



scuit plena maximi ardoris, ac pietatis, cum adstantibus nostris, cum Beata Virgine, cum Angelo custode, cum Deo, à quibus identidem flagitabat, vt sibi ea nocte ex hoc stabulo in Cælestem Regiam ingredi liceret.

TERTIVS Antonius Apicella, vt & prior, Scholasticus, qui statim ac nuncium de morte accepit, lætior factus est: cuius egregiam virtutem, & patientia in tollerandis fluxionis hepaticæ assiduis doloribus, & constans animus ostendit. Maxima semper fuit pietate erga Beatissimam Virginem, sanctamque Eucharistiam. Neque se melius fratribus consilium relinquere posse aiebat, de quo cum extremo vitæ articulo postulabant, quam si Sanctissimæ Eucharistiæ, ac B. Virginis maximè essent studiosi.

AD annuos redditus accessère elemosinæ, quibus quinque, & viginti capita sustentata, quæ tamen annui redditus non sustentassent. Sub annū, ad Tyrocinij redditus addita sunt vectigalia trecentorum aureorum, à quodam Sacerdote Tyrone in singulos annos. Hic Societatem ingressus, propinquus, ac notis maximæ extitit adificationi, maturo ævo, sanguinis claritate, & Ecclesiastica dignitate insignis. Tyronum plerique optimo ingenio, plerique alij generis nobilitate insignes; è quibus dotibus nihil in obedientia, nihil in corporis afflictationibus, nihil in ceteris virtutibus arripiendis sibi desunt. Vtitur maximopere Deus harum plantarum bonitate, ad fructus ex peccatoribus colligendos. Nouitius quidam iunior, festis de more diebus, in suburbio doctrinam Christianam explicabat, audiebatúrque tertio Paschatis die à multis, cum ecce vnus, qui se militem profitebatur,



tebatur, fortè pertransit ad inferendam cuidam religioso viro necem, à quo manè de sua existimatione, bonoque nomine aiebat esse detractum: constitit igitur ad audiendum tyronem, & primùm indignabundus passus aliquot abiuit, deinde Tyronis audiendi desiderio percussus redijt, cogitans illam sibi mentem à Deo injectam esse. (Redijt inquam) nostrique Nouitij verbis adedò percussus est, vt cum eo domum nostram reuersus, continuò animi labes confessione eluerit; firmissimè statuens vitæ rationem commutare, prauas consuetudines abijcere, & cum presbytero, quocum inimicitiam gerebat, pacem inire.

## COLLEGIUM LV- PIENSE.

**V**ARIAS varias eleemosynas in nos contulerunt, quarum summa mille sexcentorum aureorum. Nobili cuidam mulieri ac pietate insigni, quæ diu ex grauiissimo vlcere, ac molestissimo infra mamillam laborabat, grauiissimè in lecto ægro-tanti **B. I G N A T I V S**, nostræ societatis Fundator, cuius opem sepe implorare solebat, cum alijs eiusdem societatis Sacerdotibus, in quiete apparuit: qui vultu hilari, & pio sermone illam monuit, voluntatem Dei esse, vt ex hac vita migraret, neque amplius corporis valetudinem posceret. Dolores quidè erant maximi quibus afficiebatur, sed tantam inde consolationem assequuta est, vt libentissimè se promptam Diuinæ voluntati offerret, & Beato Ignatio, quem semper præcipua pietate coluerat,

luerat,



luerat, summas ageret gratias, doloribus iam lenioribus effectis; denique tanquam dormiens optima femina discessit ab hac vita. Adolescentulus, qui duodecimum annum agebat, die quodam vesperi, antequam cubitum iret, vigilans quendam vidit turpem hominem prolixa barba, cornibus curuis, & altis, vultu & oculis terribilem, quem dæmonem putauit esse, qui ipsius adolescentuli peccata scribebat: magno timore perterritus, vix tota nocte somnum cepit, cum spectrum illud semper sibi ante oculos videretur videre. Postridie eius diei bene mane ad templum nostrum confugit, sacramentali confessione animam expiauit, nihilque amplius deinde incommodi ab illo spectro passus est.

L I S erat inter duos fratres de patrimonij rebus, dum autem alter ab vrbe ad pagum rediret, quendam hominem vidit in via, (id autem accidit vesperi) qui sic rusticū allocutus est; Nunquam hæc lis tibi bene finietur, nisi fratrem interfeceris. Interrogauit rusticus quisnam ille esset, & cur hoc daret consilium? respondens ille finxit se esse quendam, cuius nomen etiam non tacuit, & vt sua bona quiete possideret, fratricidium consuluit. Intuens rusticus illum, quem initio hominem esse putauerat, dixit; neque tu es quem nominas, qui diem suum iuuenis obiit, tu verò senior es, & consilium tuum non est amici hominis. Cur enim tam leui de causa fratrem occidam? Cum hoc dixisset, ille aspectu, voceque terribili, compressa dextra, rustici terga percussit, statimque confusus recessit. Postridie mane rusticus ad urbem redijt, rectaque via ad nostrum templum contendit, vbi salutare consilium à sacerdote nostro accepit, quid



quid sibi agendum esset, ipseque & sacerdos ex eius verbis iudicauit illum, qui humana forma in itinere apparuerat, dæmonem fuisse.

IACOBVS Murra vnus è Rhetoricis nostræ societatis, biennio ferè toto post exactum tyrocinium, ex quibusdã grauissimis circa collum vlceribus Neapoli laborauerat. Missus est denique Lupias medicorum consilio, vt natiui aëris natura ægrotum aliquo modo leuaret, sed post aliquot menses, omnium Sanctorum scilicet die festo mane migravit ex hac vita. Duo hæc præcipua (licet multa præterea in adolescente religioso essent) memoria & literis digna extiterunt; vnum, perpetua, atque inuicta longi temporis patientia; alterum, quod cum ante obitum ad domesticos lares, vt mater vidua, fratres, & sorores eius aspectu aliquid consolationis caperent, missus esset à Patre Rectore, summis precibus parentum exorato; bonus adolescens, & optimus religiosus, non familiariter cum suis iam suspirabat; verum sæpissimè, collegium meum, Patres meos, fratres collegij mei identidem vsurpabat, suosque tandem coëgit, vt quam primum morti iam proximum in collegium referrent: quo vbi delatus est, gratias Deo, & Beato P. N. Ignatio maximas agens, Lætus nunc inquit ex hac vita discedam.

Hoc anno, sacellum in templo nostro institutum est Diuæ Irenæ, quæ omnium opinione, Patrum traditionibus roborata, antiqua religione huius ciuitatis Patrona colitur, dicatum: quod nunc altis columnis ex Lupiensi lapide, qui facile cum Pario contendit, auro deinde ornandum, Patres huius collegij diligentissimè curant. Erecta in eo iam ara, & argentea diuæ statua cum insigni-



bus eius reliquijs nitet, pulcherrimè exposita: quæ per inauratos cancellos facillè aspicitur. Exorta est initio tempestas quædam, ab humani generis hoste si e dubio concitata, sed vt res benè percipiatur, cam paulo alius repetendam putauit.

Mos erat Patris Bartholomæi Petracij nostræ societatis sacerdotis, antiquus, pius, sanctus, & bonis viris omnibus probatus, quacumque in ciuitate quadagesimali tempore concionaretur, septimo quoque die, sabbatho videlicet, de patrono eiusdem ciuitatis concionandi. Is cum ad hoc munus huc esset missus, eundem sibi morem in hac vrbe seruandum iudicauit: quem cum persequeretur, cœpit vitã, virtutes, martyria, & miracula maxima Diuæ Irenes ex vetustissimis auctoribus tum Latinis, tum Græcis excepta omnia, ita explanare, vt populus tam præclara suæ antiquæ patronæ gesta, quæ hic quidem noua adhuc erant, summa cum delectatione, pietate, atque hilaritate audiret. Hinc pietas populi erga sanctam Irenem cœpit augeri. Inuidit autem humani generis, ac virtutum omnium hostis, tanta totius ciuitatis erga suam antiquam patronam Religioni, quam in dies maiorem futuram facillè videbat, nisi ratione aliqua illam impediret. Rumor igitur quidam, eius opera per urbem cœpit vagari, primùm has nostri Collegij reliquias non esse vera Diuæ Irenes ossa; deinde quæcunque nostri facerent, quæcunque cogitarent, eò spectare, vt frequentia populi à nouo templo illo, quod ciuitatis sumptibus Diuæ Irenæ conditur, in quo religiosi homines magna virtute insignes, diligentissimè ac sanctissimè Deo inseruiunt, & Diuam ipsam colunt, ad Templum nostrum reuocaretur.

S E D



SED VTRUMQUE longissimè, & à veritate, & à consilijs, atque nostrorum omnium cogitationibus abest; nam & Apostolicę literę omni fide dignissime testatur à quo Romano Cœmeterio, & quibus testibus præsentibus, ossa hæc Diuę Irenes, bona cum venia summi Pontificis, huc in nostrum Collegium sint allata: & nulla causa nostris potest esse curandi, vt ab alijs templis quibuscunque, ad nostrum populi reuocetur frequentia. Quamuis autem hæc ita se haberent, quibus tamen non satis pius erga Societatem nostram erat animus, cum ij non satis probarent, quę à nostris optimo, & simplici animo ad augendam populi pietatem, ad ipsius Diuę honorem, & ad summi Dei maiorem gloriam fierent; cœperunt & verbis multis, & rebus omnibus omnia impedire: nam & Decuriones ciuitatis, & illi ipsi religiosi homines ita sibi vera esse persuaserunt, quę dæmon finxerat, & per urbem vniuersam pertulerat; vt primùm honorem publicum, cuius iam indictus dies erat, quo sacra Diuę pignora per vrbs plateas in templum nostrum solemni cum pompa, & magnifico apparatu perferrentur, impedire omninò modis omnibus conati sint. Deinde certos homines Romam miserint, qui apud Romanum Pontificem omni studio, labore, sumptibus publicis causam omnem agerent, vt his diuinis Reliquijs, templum nostrum nosque omninò priuaremur. Sed neutrum illis ex sententia successit. Licet enim Diuę signa per vrbs plateas, vt erat iam statutum, perferri non fuerit permissum, publicusque honor sit impeditus; maior tamen (idque omnium bonorum iudicio) intra domesticos parietes, & in templo nostro est habitus: to-



tus namque ferè ciuitatis populus ad sacram hanc pompam confluit, multique præterea huius regionis populi, vt non modo in templo ijs iam hominibus, & honestissimis mulieribus completo, nihil esset loci vacui, sed ne in plateis quidem, quæ ante fores templi omnes, magnificentissimi apparatus elegantia, & copia refertæ erant.

Q V O A D lites autem illatas, etsi nostri aduersarij hunc sacrum thesaurum à nostro Templo primum alio transferri posse cogitarent; atque adeo conarentur efficere, vt hæc sacra ossa non Diuæ Irenes iam haberentur, neque in Templo nostro apparerent; Idem tamen Romanus Pontifex, etsi quibusdam de causis Patronæ Lupiensium his reliquijs nomen non concessit; decreuit, vt liceat nobis in Templo nostro, & sacellum construere, & aram ad Diuæ Irenes honorem erigere, & eius reliquias quoties vellemus exponere, & diem festum, præterquam III. Kal. Mai. ne cum noui Templi die festo noster incidat, agere.

E x his ossibus assiduè suauissimus odor effluit, qui peritissimorum medicorum iudicio, & aliorum hominum, qui de odorum subtilitate & veritate facile diiudicare possunt, nihil mortale videtur habere, nihil compositum, sed totus merè cœlestis, totus esse diuinus. Quicquid ad has reliquias tangendas adhibetur, eundem odorem (mirabile dictu) diu fideliter seruat, multumque ad leuandos, tollendosque omnino varios morbos prodest. Sempronius medicus peritissimus, & omni fide dignissimus; honestissima quædam mulier; & Dionisius vir bonus, & pius Sacerdos, qui sensu olfactus omnino carent, cum viderent omnes certatim, quo tempore Diuæ statua in Templo



plo nostro exposita manebat, ad fragrantia ossa undique concurrere, vt diuinum odorem perciperent, accedunt & ipsi, eandemque suauitatem, quam alij, qui hoc sensu vigent, suo sensu percipientes magnopere admirantur, atque stupent: neque sibi ipsi fere credentes, neque vna vice contenti, iterum, atque iterum idem repetentes, eundem semper naribus hauriunt; atque admirabili, & nouo affecti hoc sensu testantur, nullum præterea odorem se omnino, neque malum, neque bonum, quam hunc sentire, quem cœlestem, ac diuinum esse, nihil dubitant.

ILLVD profecto permagnam affert admirationem; quod quo tempore ossa hæc Diuæ Irenes Lupias fuerunt allata, nullum omnino initio reddebant odorem. At vbi statua Neapoli, in qua Vrbe confecta erat, in Collegium nostrum delata est, vt ibi hæc sacra pignora conderentur, & ille rumor à dæmone incitatus, per Urbem cœpit vagari, has Reliquias non esse vera ossa corporis Diuæ Irenes Lupiensium Patronæ, cœpit paulatim odor Diuinus effundi, atque in dies maior fieri, maiorésque virtutes patefacere. Quod autem nouus fuerit hic odor, sunt multi ciues optimi viri, qui hoc sciunt, testarique optimè possunt, atque imprimis Pater Bernardinus Realinus, nostræ Societatis Sacerdos: cuius testimonium pro multis millibus esse potest. Quin & virtutes imprimis quam plurimæ, quæ ex his Reliquijs proficiscuntur quotidie maiores, præstantissimum, atque verissimum testimonium præ se ferunt, Diuinam esse vim, quæ in eis latet: vnde fit vt non tantum ipsarum Reliquiarum contactu, sed cuiuscunque rei etiam, quæ illas tetigerit, permulti à



quouis genere morborum liberi euadant: Multique cum se huius Diuæ precibus commendaerint, pristinam recuperent valetudinem. Aloysius Baliolus Iuris peritus, vir optimus, & pius, cum ita grauer ægrotaret, vt eius salutem medici vesperi iam desperassent, ad Patrem Rectorem nostri Collegij misit, qui suo nomine Reliquias Diuæ Irenes peterent, ( credebat enim se statim atque eas aspiciens veneraretur; pristinam recuperaturum valetudinem ) sed cum eo tempore Pater Rector eas afferendas non putaret, consuluit vt magna spe peteret absens, quod præsentem non liceret: id quod ille vir bonus pio animo, & prompto fecit. In lecto igitur iacens, eadem nocte Diuæ Irenæ valetudinem suam precibus commendauit. Mirum profecto! Statim enim conualescere cepit, vt postridie eius diei medici, bene mane cum ad egrorum accessissent, de recuperata valetudine admodum mirati sint.

ANNA Verarda primaria est & optima femina, in cuius mamilla molestissimum, & periculosissimum erat vlcus ( fistula vulgò appellatur ) ad quod curandum remedijs omnibus humanis adhibitis, cum nihil omnino proficeret, ferro illud medici cogitabant rescindere. Hoc autem consilio capto, paratisque rebus omnibus, quæ ad opus erant necessaria, idque iam vesperi vt mane nihil esset impedimento; infelix, & agra mulier, maximo timore, doloréque simul affecta, diuinum auxilium ante cubitum toto animo, & omni pietate à Diua Irene implorauit. Nocte sine molestia dormiuit: mane autem in mamilla ne signum quidem vlceris apparuit, neque dolor vllus est relictus. Itaque medici, qui valetudinem iam despera-

despera-



desperarant, omnesque domestici, qui summum periculum viderant, Diuæ Irenes precibus omnia referebant accepta.

ANTONIVS Zizimus, Iurisperitus, & vir bonus, cum omnino iam eius valerudo esset à medicis desperata, functusque esset sacramentis omnibus, quæ Christiano homini ex hac luce migraturo suscipienda sunt, Sacerdotem nostræ Societatis accersit, diuinamque opem Sanctæ Irenes implorat. Sacerdos gossipium, quod Diuæ Reliquias tetigerat, ad ægrotum adhibet, qui statim cœpit conualescere, febris discessit, ad pristinum statum rediére vires. Qui proinde non cessat hoc miraculum ad Cœlum extollere, suamque vitam Diuæ Irenes meritis tribuere. Harum Reliquiarum vis Diuina, & cruribus incessum, & auribus auditum, & naribus olfactum, & oculis clariorem lucem, & alijs membris variorum morborum genere affectis, valetudinem reddit, & ita prodest omnibus ad salutem, vt si omnia recensere velim, libro opus sit. Argentea signa, quæ multa pendent ad aram votiua, aliqua ex parte id testantur. De odore & virtutibus Diuæ Irenes multa sunt carmina, sed pauca putavi apponenda.

---

P. BERNARDI REALINI Carmen.

*Qualis odor! qualis! similem nec aromata fundunt,  
Nec natura parit, nec manus vlla facit.  
Id medici testantur: idem sine fraude fatetur  
Quisquis & ingenio, quisquis & arte valet.  
Vis trahit ex Alto Diuini Munera Amoris.  
IRENEN pronus, mente, genuque colo.*

EIVS.



## EIVSDEM P. REALINI.

*Mirum! certa fides tamen est, exhalat abundans  
 Suavis odor, qualem balsama nulla ferunt.  
 Linteolis exceptus opem fert protinus agris;  
 Sive oculis, sive hunc faucibus admoneas.  
 Vnde noua hac virtus? Vnde est hoc munus odori?  
 Ex Alto: IRENES sic celebrandus honor.*

## EIVSDEM REALINI.

*Sempronio olfactum Medico, natura negarat,  
 Naribus amorum tamen hunc bene sentit odorem:  
 Nullum praeterea, Nullum. Testatur eandem  
 Nunc sortitus opem, insignis pietate Sacerdos:  
 Cuius non potuit modo nomen carmine claudi.  
 Diuini IRENE tua sunt haec pignora amoris.*

## SEMPRONII MEDICI EPIGRAMMA.

*Sacra ex crystallo IRENES quod contigit ossa  
 Gratus odoratu, quis mihi manat odor?  
 Terrenus non est, quoniam natura negauit,  
 Olfactum talem posse ferire meum.  
 Illius est igitur certe coelestis origo,  
 Coelestis primum est hic mihi notus odor.  
 Quid faciam IRENE? quas possum soluere grates?  
 Persoluam plures, munera plura petens.  
 Ergo precor supplex, terrenos noscere odores  
 Fac me, da sensum naribus hisce meis.  
 Quo magis olfaciens terrenos, atque supernum,  
 Contemnens illos, huius odore fruam.*

MISSIO



## MISSIO CARBINIENSIS.

CARBINII, vt nihil de confessionibus dicatur, ex doctrinæ christianæ catechesi ille fructus collectus est, vt populus antea rudis omninò & ignarus rerum, ad salutem necessariarum, concionibus permotus, sermonem de rebus diuinis ad multam noctem in vicis traheret; plurimique cateruatim inter se de fidei symbolo, de Diuinæ legis præceptis, de alijs doctrinæ christianæ partibus summa cum voluptate, atque vtilitate differerent. Illud etiam hic accidit non vulgare, aliquot diebus antequam sacerdos noster eo mitteretur, fœmina ex primarijs, vt eadem iureiurando affirmabat, visam sibi testata est virginem matrem specie pulcherimam ornatu insigni candidi, ac cœrulei coloris, adstantibus hinc, atque hinc duabus alijs Virginibus, quæ sic ipsam vigilantem iam, atque in templo preces fundentem affata. Propediem hic patrem habebitis è societate Iesu; ad hominem adito; ei quæ tibi acciderunt exponito; eiusdem consilio acquiescito. Cum igitur illuc Pater adijffet, atque in concionem ascendisset, statim femina (nunquam enim antea neque oculis, neque auribus norat Iesuitas) illum sibi esse persuasit, quem B. Virgo prædixerat. Itaque cum fecisset imperata, eam est animi æquitatem, ac voluptatem consecuta, vt non amplius in terris, sed in cœlo degere videretur.

MISSIO



## M I S S I O A S T V N - C E N S I S .

**A** S T V N C V M deinde itum; in qua vrbe, vt  
 fileam de cæteris, illa gesta præclarè. Viri  
 nobiles partim è clero, partim è populo, concio-  
 nibus sacerdotis nostri præter solitum, vt ipsi  
 passim dictitabant, inflammati; cum eodem ege-  
 runt, vt si ei videretur Sodalitatè in ea vrbe, quales  
 in plerisque magnis vrbibus florent, institueret.  
 Non negligendam eam occasionè putauit noster;  
 itaque paucis diebus & apto ad eam rem loco re-  
 perto, & selectis è maximo numero, qui aptissimi,  
 constantissimeque fore videbantur, confecta res  
 est: tanta omnium approbatione, ac totius ciui-  
 tatis voluptate, quantam, quæ res postea sunt con-  
 secuta, indicarunt. Nam post nostri discessum, con-  
 stituerunt primùm magnam pecuniæ vim confer-  
 re ad exedræ ædificationem, quo plures conue-  
 nire, ac Deo sibi que vacare queant; deinde pieta-  
 tis, vt vocant, montem erigere; vnde mendicitas,  
 ac paupertas ciuitatis, in primisque virginum sub-  
 leuetur; quam rem vtramque sic vrgent iam, vt  
 spes sit, primo quoque tempore ad exitum opta-  
 rum perductum iri.

**P** E R eos autem ipsos dies, quibus in ea vrbe  
 noster versatus est, cum identidem inter dicen-  
 dum ad frequentem Pœnitentiæ vsum, ibi perra-  
 rum, magna vi orationis populum illum incitaret;  
 anus Maria nomine, quæ nullam concionem præ-  
 termiserat, quam non è vicino loco attentissimè  
 audiret, prima sacerdote nostro à confessionibus

vsa,



usa, sic affecta monitis, ac consilijs est, vt properè vicinis primum, deinde ceteris vrbis feminis auctor fuerit, vt gregatim ad culparum expiationem conuenirent. Atque adeò suadendo perfecit, non modò vt in summum templum itarent plurimæ, sed vbiçunque sacerdos noster sacris operaretur, eodem cateruæ feminarum confluerent.

## MISSIO NERITINA.

**B**REVIS sanè, sed instar longissimæ fuit hoc ipso anno, missio ad urbem Neritum: quò pauculis diebus ante Christi Natalis ferias accitus sacerdos è nostris, mirum quomodo tam breui spatio octodecim circiter dierum, totam illam ciuitatem permouerit, atque ad pietatem accenderit. Neminem ad eam diem Neriti auditum affirmabant, qui æquè omnibus, & doctis, & indoctis; & viris, & mulieribus, de diuinis rebus in concione disputando satisfecisset: de nullis verò rebus alijs, nisi de ijs, quas per eos dies in tēplo didicissent, in arcis, & vjs, in vrbe, in agris sermonem habebant. Egerunt de Sacerdote totum annum retinendo: iamq; vir pietate ac doctrina insignis, nostræque Societatis cū primis studiosus Benedictus Franciscus Suesanus, qui Episcopi Vicarium hic agit, ad ipsum Episcopi Romani litteras dedit; vt si velit se diutius in eo munere perseuerare, Patrè eum iterum mittendum Neritum curet, qui totum insequentem annum, & catechesi rudem populum, & sacris concionibus omnes instruat, atque inflammer: Diocesimque deinceps lustret,



ac toto quadragesimæ insequentis tempore conciones in summo templo habeat: nisi id faciat, se, qui ipsum quinquennium ecclesiam illam gubernasset, in posterum ab ea ultro recessurum; idque non aliam ob causam, vt iisdem literis confirmabat, nisi vt conscientiam sedaret suam, quæ tantam populi vtilitatem ex talibus exercitationibus experta, nullo aliter pacto conquiesceret. Urbis porrò moderatores, ac proceres, vt exemplo cæteros de frequentandis concionibus admonebant, ita turmatim sacerdotem nostrum inuiscebant, & crebra munerum missione, quæ ille constanter recusauit, suam erga nostram Societatem beneuolentiam testabantur.

Q V I D de Ducum illustrissimorum pietate, atque in nostrum ordinem egregia voluntate dicam? Quid de aliarum familiarum religiosis viris, qui ad nostrum vel audiendum, vel consulendum, vel salutandum adibant? taceo reliqua, illudque addam vnum, tantum desiderium nostræ religionis excitatum, vt omnes Societatem ibi exoptent; tantum Sacerdotis abeuntis relictum, vt cum ex vrbe ciues, tum rustici ex agris prætereuntem faustis acclamationibus, ac precationibus, quod pedibus conantes prohibebantur, sint profecuti.

---

## M I S S I O I N P E T R A M P A G A N A M.

**P** E T R A Pagana Lucaniæ oppidum est. Quadragesimæ ieiunij tempore duo è nostris Sacerdotibus illuc missi ad concionandum, cæteraque Societatis munia obeunda; quo cum peruenissent



nissent totius oppidi gaudio, & communi lætitia circumiectorum oppidorum recepti sunt. Sacramentorum usus, qui nullus erat apud eos, à nostris inuectus, erectæ Sodalitates tres, quarum prima plebeiorum fuit; altera nobilium virorum; tertia presbyterorum; in qua præter solitas nostrarum Sodalitatum exercitationes, casuum conscientiæ est instituta collatio; presbyteri etiam duo rectè eruditi, quo diebus festis, Idiotis, ac pueris catechesim explicarent.

INTER duas illius oppidi familias mortale diffidium intercedebat. Res eo usque percreuerat, ut alterutris è medio sublatis, mox sese ipsi addicerent exulibus, oppidumque ferro, ac sanguine deuastarent. Rem aliter iam tentauerant: de nocte hostium aggressi domum, plumbeam glandem exploserunt; sed sclopus aberrauit, non vllus emortuus. Qui iniuriam passi sunt, tale scelus à magistratibus vindicari debere postularunt; confluunt eo satellites; contumaces monasterium tenuerunt armis communiti, eoque animo, ut antequam in manus Proregis deuenirent, suorum hostium sanguinem ebiberent non inulti. Qui igitur rei concilij fuerunt, illico ad nostrorum genua accidere, auxilium atque opem toti oppido flagitantes, nec defuerunt, qui rem alias ab Archiepiscopo, multisque primarijs viris pertentatam, nec tamen confectam, nobis dissuaderent: sed Deus pacis charitarisque auctor, addidit animos, & in suo nomine rem adeo difficilem amplexati, ad fœlicem exitum perduximus.

PACTIS igitur quas voluimus conditionibus, ac veniam suppliciter inuicem postulanti-



ta. Mane apud nos pransum ab vtrisque, nostris ad mensam ministrantibus; quæ res non minorem attulit oppidanis admirationem, quàm lætitiæ segetem, nec difficultatis quicquam fuit, ad magistratus, & violata iura reparanda; ad consanguineos verò eorum conciliandos, qui læsi fuerant, difficultatis sane plurimum; quippè qui audita reconciliatione, è propinquo oppido aduolarunt acti furij, labia, digitosque mordentes: quod sui, Iesuitarum hortari, ad tam indignam pactionem descendissent: aduolant ad magistratum, rem iure, legumque ritu absolui flagitant, sese reconciliationi minimè assentiri iactant. Turbata omnia, ad vincula, ad carceres reditur; ab vtrisque communiū est, & cautum. Procedimus igitur ad incendij novos auctores, quod iam extinctū omnino erat; ac primū, nec rationibus, nec precibus, nec verbis Deo plenis locus vllus datur; mox Deo per preces, ac sacrificia inelamato, ad id quod volebamus, sensim adducti; rursumque ipsis consanguineis adstantibus restaurata concordia, confirmati animi, ad concionem iuncti descendunt.

## COLLEGIVM AQVILANVM.

**S**ODALITATES habet quinque: prima continet viros nobiles, altera homines è plebe, tertia philosophos, duæ reliquæ gramaticos. Cùm scholæ, tùm sodalitates maximè vigent. Eleemosynæ cum amore erga nostros creuerunt, ita vt iam ex eleemosynis necessarius victus, & alia præter victum



victum habeantur. Cum illustrissimus Cardinalis Farnesius ad visendam urbem Aquilā, ex propinqua vrbe accingeretur, prodire ex nostro collegio inscriptiones, insignia, emblemataque centum de lilijs Farnesianis. Drama quoque scriptum est in eius aduentum, quod in Episcopali aula eiusdem impensis Episcopi exhibitum esset, nisi urbem Aquilam Cardinalis humanissimus nolens, atque ægrè sua præsentia priuasset.

EST nostra Societas omnibus gratissima Religio- nibus. quod si qua antea de nostro ordine non bene sentiebat, mox pleno ore apud populum in concione laudauit. Religiosus quidam de rebus grauibus apud suos superiores, imò etiam apud ordinarium accusatus, apud quem tum sua fama, tum bonus religionis suæ odor periclitabatur nostrorum opera subleuatus est, & maximo cum honore liber euasit. Simultates inter primarios viros auulsæ, confessionesque totius vitæ factæ. Factiones duæ huius prouinciæ ita odijs exagitabantur, vt interfectionis gratia ex vrbe ad exulandum discesserint; iamque tres hinc inde ferro conciderant; sed, Deo fauente, omnis à nostris est opera collata, conciliatique omnes. Dux Populensis cum proximè abesset à morte accersuit sacerdotem è nostris bidui itinere, quem vbi vidit, se latè nunc discessurum exclamauit: & quoniam Neapolitanæ sodalitati Virginis in cælum elatæ nomen dederat in nostra domo Professorum, ex ea contestabatur, siquid bonorum aut virtutis haberet, accepisse. Filium igitur sisti iubet ante se, eique mandat, vt Neapolitanis Equitibus Sodalitatis exoratis in eam admitti se flagitaret; nihil se præclarius, nihil maius illi relicturum.

E

E dif-



E discipulorum sodalitate multi iam in alias religiosorum familias dedere nomen. Alij Societatem nostram cogitant. Adolefcens, re detecta, à consanguineis diuersimodè abstractus, constantiam suam eis declarauit. Alter à quodam adolefcente læsus, cum hac esset de re sermo iniectus, diuina impulsus gratia, & charitate, coram omnibus, ad pedes eius qui læserat, sese abiecit, eosque deosculans multis veniam quæsiuit, non sine ingenti eorum, qui aderant, ædificatione. In sodalitate eorum, qui studia maiora pertractant, mos stabilitus cædendi sese gregatim die veneris. Ex eorum numero quatuor ad Capuccinos, alij ad alia profecti cœnobìa. Quod autem ipso Virginis in cœlum sublata die fecerunt, admiratione non vacat : primùm inspectante toto vrbs Magistratu, ac penè infinita plebe, ægrotorum pedes abluerunt, iamque lota pedum vulcera exosculati sunt : deinde exquisitissima edulia argenteis lancibus administrauere ægrotis. Ex quo factum est, vt ijs iam abundè refectis, quicquid ciborum superfuit deferrent ad carceres. Quamobrem admirationem toti vrbi attulerunt, eo quod viri nobiles per vias, canistros, edulia comportarent, nostri sacerdotis exemplo ad id impulsì, qui primus maiorem lancem præhendit. Et hic mos comportandi cibos ad ægrotantes, pauperulas religiosas, & ad carceres, quotidie radices agit.

A M A N T vsque adeo officia ægrotis præstare, vt aperto capite ijs inseruiant, dentque manibus aquam, præbeantque potum genibus flexis : cumque obtrectando diceret quidam vir nobilis, mirum quidem esse satis, consimilia nunc exhiberi seruitia erga pauperes, & erga principes viros :  
 respon



responsum tulit à præfecto sodalitij : mirum nihil ei debere esse, qui ad Christum respiciat, cui in pauperibus deseruitur; sed hoc potius mirum esse, cur Regibus ac Principibus viris maiora seruitia, & cum maiori reuerentia exhibeantur. Duo viri nobiles ipsius Beatæ Virginis amore, cui dicati erant in Sodalitate, acceptam iniuriam condonarunt. Mercurij die sub vesperam, ad Sodalitium accedunt in honorem dolentis olim Virginis Beatissimæ, vbi post sanctissima colloquia, non sine lachrymis seipsos cædunt, spatio decantati altiori voce psalmi Miserere.

## COLLEGIVM BENE- VENTANVM.

**D**ATVS à discipulis nostris Filius prodigus extremis Bacchanaliorum diebus. Rursum exactis ferijs pentecostes exhibitum Mauritij drama, quod tantam vrbi vniuersæ lætitiâ peperit, vt multi primarij viri facultatem à Patre Prouinciali petierint dandi iterum Mauritij in ea aula, in qua ciues suas comœdias, & tragœdias habere solent. Et quidem illustrissimus Dux sanctæ Agathæ rem totam suo sumptu curauit, discipulis etiam omnibus nobili præmio donatis. Cum esset prandio exceptus in nostro collegio Illustrissimus Archiepiscopus cum fratre, qui tum fortè Roma venerat, emblemata, insignia, & omnigenos ferè versus conscripsere discipuli, qui scholæ parietes serico peristromate circumuestitos suis versibus condecorauerunt. Idem omninò factum ab eisdem, cum Reuerendissimus Sanseuerinensiu no-



uus Anristes in nostra cénatione pransus est. E nostris scholis primarij adolescentes tres in Societatem nostram admisi. Excursum etiam a nostro Sacerdote in oppida circumiecta, animarumque fructus relatus vberimus. Eleemosynarum numerus, magnum aris pondus effecit.

C O L L E G I A N O L A -  
N V M, S A L E R N I T A N V M, C A -  
T A C E N S E, C O S E N T I N V M.

**E**X hoc tenui agro collegij Nolani, si nostrorum ratio habeatur qui illum excoluere, aut ciuium, in quorum beneficium noster omnis collocatus est labor, dici non potest exiguum relatum esse fructum Dei ope, ac numine. Hoc anno vita excessere P. Ambrosius Gerardus, Nolanus, Professus trium votorum, matura iam ætate, post longum molestumque morbum; & Antonius Milonius ex oppide Fragolæ, constanti ætate, robustisque viribus, obitu quasi repentino. Rectè quidem præ se tulit P. Ambrosius toto tempore morbi, ac præcipuè in extrema vita, modestiam, humilitatem, patientiam, pietatẽ; quæ omnia in Societate veluti in schola virtutum didicerat, spatium quadraginta duorum annorum, quibus in ea vixerat; cum enim totus ferè vlcus euasisset, quippe ex quo indefinenter vermes scaturiebant maxima copia, qui carnes exedebant non sine dolore, ac fœtore maximo: numquam tamen vel minimum edidit impatientiæ, aut mæstitiæ signum; sed animo pariter ac vultu tranquillissimo, eos ipse consolabatur, qui ad ipsum consolandum tantis



tantis oppressum doloribus non sine misericordia, lacrymisque accedebant. Cum igitur ei spiritus è corpore deuolasset mense Iulio, quo tempore mortuorum, licet recentium, cadauera statim putrescere solent; vermium fœtor omnis ab huius patris cadauere abfuit, relicto in carnibus odore, qui suarū virtutum suaveolentiam referebat. Scholarum fructus, vel discipulorum numerus auget, cum duarum Sodalitatum fructu, ac numero.

IN Salernitano collegio sexcentorum ducatorū æs alienum sublatum est. Doctrina Christiana per urbis vias capta est explicari: Habiti sermones in templo nostro diebus veneris quadragesime, non sine musicorum cantibus, populique ingenti frequentia. Cetera habet communia cum alijs collegijs.

CATANZARI permagna terræ concussio, ac motus extitit eorum, qui crebri, magnique in hac vrbe solent excitari; quæ res causa fuit cur sacerdos è nostris concionem haberet de hac ipsa re apud populum; tantosque animorum sensus ac lacrymas excitarit, vt illicò ad expiandas animorum labe, subinde ad publicas, sollemnesque supplicationes confluxus ingens fuerit. Cetera nostræ Societatis munia, quibus nostri perfuncti sunt, hoc collegium communia habet cum ceteris, idèijs repetendis abstinemus.

DE collegio Cosentino nihil occurrit dignum quod scribatur.



C O L L E G I V M B A -  
R I E N S E .

**E** N O S T R I S scholis dedere nomina in So-  
cietatem adolescentes tres, alijs maturiorem  
etatem expectantibus. In vicina oppida missiones  
renouatae, fructu maximo, stabilitis sodalitatibus  
alijs inchoatis, nec non alijs oppidis sacerdotes  
nostros efflagitantibus. Præter conciones in no-  
stro templo habitas, missus sacerdos è nostris ad  
parochias, & ad publicas vrbes plateas; vbi con-  
cionatum est, edoctaque plebs rudis res eas, quæ  
ad christianam fidem, doctrinamque attinent; vt  
hinc ingens in nostrum Templum confluxus fie-  
ret, confiteri cupientium.

**A** L T E R è nostris quadragesimæ conciones ha-  
buit in templo Regio sancti Nicolai, tanto vrbes  
solatio, gustuque, vt præterquam quod semel, ac  
bis superioribus annis, eademque vrbe, quadrage-  
simales conciones habuerit; nunc etiam melioris  
vitæ fructum retulerit. Idem Sacerdos sermonem  
habuit prope arcam sacri corporis diui Nicolai,  
non sine magno templi incommodo: quo habito  
recensitisque laudibus illius Sancti, potestatem à  
populo sibi fieri postulauit, agendi cum ipsomet  
B. Nicolao de rebus ad communem salutem ma-  
ximè pertinentibus. Facta potestas est; itum à pa-  
tre, & in sacram arculam inectum caput. Ibi bo-  
nam temporis partem preces effudit, tum verò ad  
populum nixum genibus sese conuertit, quem  
hilari, sed madido lachrymis ore allocutus, Bene  
inquit habet, bene. Sanctissimus Nicolaus bonam  
vobis



vobis frugem hoc anno se daturum spondit, populus quippè, qui annonæ caritate tunc temporis premebatur, iterum ad lachrymas, ad preces redijt. mense ipso Aprili tota Apulia siccitate magna squallebat, in campis nulla spes frugum apparerat. Et iam Nonæ Maiæ agebantur cum reminiscens populus, quæ concionatori Diuus promiserat Nicolaus, Eamus inquit, & à Sancto promissa repetamus.

ERGO sollemni instituta supplicatione, & longo instructa ordine virginum, ac teneræ ætatis puellarum, quæ passis crinibus, nudis pedibus incedentes, à spectatoribus lachrymas exprimebant; itum ad diui Nicolai, vbi vix (ò rem admirabilem) sancti nomen est inclamarum, cum ecce tibi obnubitur cœlum, atque maximus, vniuersalisque imber delabitur, quo rura, campi, prædia reuixère, frumentique copiam suppeditauere. Elapsa anni superioris hyeme vrbs Barium inopia, & tenuitate rerum premi cœpit, quamobrem nonnullarum virginum honestas, & pudor parum abfuit, quin prostitueretur, matribus ipsis exponentibus, quototius familiæ vitâ reparare possent. Vt igitur tanto sceleri consuleretur à magistratibus, petitum est à Neapolitano Prorege, vt è publica re frumentaria panes ad alendos pauperes verecundantes coquerentur; quod vt sine dolo fieret, curatum est, vt eiusmodi negotium Patri Rectori nostri collegij demandaretur. Rem omnem concessit Prorex, identidem eiusmodi verba iterans, modo totum presente Rectore præstetur. Quod postea factitatum est in nostro Templo toto fermè mense Martio, atque Aprili: quantum vero panis supererat verecundantibus elargiendum, id to-



tum pauperibus largissimè erogabatur, non sine portione eorum, qui nobili loco, ac genere nati, mori satius malebant, quam in catalogum referri eorum, qui licet secretò, emendicabant.

R E C T O R E M igitur ciuitas fermè tota delegit, legauitque cum Prætoris litteris ad curatorem rei frumentariæ, qui Bario fermè aberat leucas quatuor. Quorum ita feliciter res est à Rectore peracta, vt Bariensi ciuitati aureorum amplius decem millium emolumento fuerit, priuatis hominibus bonam quoquè lucri partem attulerit. His de causis, cum ciuibus ipsis nostræ domus tenuitatem palam fieri debere à nostris esset decretum, confestim toto Bariensi acclamante Senatu, tantum rei frumentariæ nostris est subrogatum, quantum ad eos alendos quatuor omninò menses satis esset.

L V S T R A B A T eo anno collegium P. Prouincialis, excipiebatque consalutationes ab honestis ciuibus, cum fortè accidit, vt ab eisdem confereretur sermo, de sede, soloque collegij, quàmque male materiata domus nostra esset, quibus colloquijs P. Prouincialis enixè exoratus est, vt ciuitatis nomine à Prorege obtineret, tantum pecuniæ ex Bariensi çrario extrahi, quantum collegij, scholarumque exædificatio desideraret. Annuit Prorex, coactusque vrbis magistratus; & primùm quidem quæsitum ex Domino Octauiano Efremo est, Ecquid, quantumque videretur erogari posse? qui habito primùm de laudibus nostræ Societatis honesto grauique sermone, statim aureorum bis mille impræsentiā erogari debere pronuntiauit. Quæ res à ceteris deinceps magistratibus publica acclamatione, suffragijsque firmata est. Peractæ rei



rei decreta cum Patri Rectori mox attulissent, præmissa vrbana tenuitatis excusatione, Læto in-  
quiunt, esto animo Pater, fiat extruendæ iam do-  
mus initium, non enim vnquam ad subrogandam  
pecuniam erit nostra ciuitas defutura. Quod au-  
tem incredibili admiratione non vacat, operæ-  
pretium est narrare: iam multra decreuerant, con-  
suluerantque causæ fauentia. Sed nostræ Societa-  
tis constitutionibus vnum aduersabatur. Re igitur  
à nostris explicata, alter subinde Senatus coac-  
tus, deletaque clausula est, quæ antea nobis offi-  
ciebat: imò verò excusationem adhibebant, se  
nunquam eo fuisse animo, vt nostris decretis con-  
stitutionibusque aduersarentur.

NON DV M collegij visitationem absoluerat P.  
Prouincialis, cum Barium de ortu Principis His-  
paniarum perlatus est nuncius, qui lætissimus qui-  
dem accidit; cumque à magistratibus de summa  
pecuniæ tantis gaudijs effundendæ ageretur, Pa-  
tris quoque Prouincialis sunt exacta suffragia, quæ  
omninò exequi statuerant. Responsum igitur fuit,  
quæ pecuniarum summa mundanis, inanibusque  
gratulationibus esset ab ipsis effundenda, fatius  
fore, si pauperibus erogaretur: sic nullum fore du-  
bium, quin magis ad nati Principis longiorem vitã  
elemosyna illa conferret. Dictum, factũ: quatuor  
& viginti, duodecim videlicet pueri, puellæque  
duodecim, omnes ad nuditatem nati vestibus in-  
duti. Penes quoque vrbis plateam, lautissimo, ac  
multiplici epularum apparatu extructum con-  
uiuium est, quo omnes vrbis pauperes ad satieta-  
tem vsque refecerunt.

B. Patris Ignatij festo die, etsi templi nostri ap-  
paratus simplex quidem fuerit, ac modestus, mis-  
saque



saque in gratiarum actionem de Sanctissima Trinitate peracta, tamen vrbis pietas, & religio erga nostram Societatem munificè benignam se exhibuit, quæ omnia ad maiorem Dei gloriam, sui que famuli honorem cesserunt; cum enim cathedralis templi clerus inaudisset, quæ nos inter domesticos ferè parietes paraueramus, modestia nostra non contenti, ipso B. P. peruigilio omnia Templi æra campana pulsarunt, vt in alijs diebus festis mos est, seque excusarunt, cur octonis ipsis diebus ante non effecissent, quod eos nostra de hac re sententia latuisset. Nostro quoque templo propinqui, viciniaq; tota, sub priores vespertas multiplicia in fenestris tectisque lumina exposuere, vt in publica vrbis lætitia factitari solet: Alij ante ædis aream myrteos erigere arcus, alij lætissimos fontes ducere, alij artificiosis ignium rotis, alij concrepantibus sclopis, alij demum vibratis per aërem igneis radijs B. Ignatij peruigilium concelebrarunt.

P O S T E R O autem die Prosper Carducius miratus Abbas sancti Quiriaui, & Iulitræ sollemne de sanctissima Trinitate sacrum fecit: Diaconi, Subdiaconique perfuncti munere Archidiaconus, & Cantor maximi templi. Archiepiscopi Vicarius Generalis interfuit, atque adeo omnis vrbis Magistratus: tantusque nobilium virorum, plebisque confluxus factus est, vt maiorem capere templum nequiuert. Cum autem sacra hostia eleuaretur ex composito omnia vrbis tormenta ænea ita concrepauerunt, vt cælum ruere videretur. Peractis igitur biduo sollemnijs, mirum quantus omnes ardor incessit audiendi huiusce B. in Sanctorum numerum relationem. Neque verò prætereundum est, quid potissimum causæ fuerit, cur tantum concursus



curfus extiterit, incidit enim in B. Patris diem concelebratio Iubilei, quod Paulus quintus, ipso sui pontificatus initio miserat in omnes Christianorum oras: cuius euulgatio in Cathedrali templo fuerat nostro sacerdoti demandata.

## COLLEGIUM THE- ATINVM.

**P**RÆCIPVVS huius anni fructus concionatoribus adscribendus: quorum certe labori, auditorum tum numerus, tum vtilitas respondit. vix qui videbant, persuadere sibi poterant, adeo populum hunc concionibus delectari; vulgoque complures insolita vrbis huius pietate moti dictitabant, tunc primum nostri ordinis religiosos huc videri aduenisse. Qui in maximo templo est concionatus, pium æquè, ac pulchrum huic ciuitati spectaculum die Parasceues dandum curauit. Supplicationem eorum, qui se verberabant instituit: hanc omnes vrbis Sodalitates comitabantur; sodales singuli accensis facibus præibant; tum Christi patientis mysteriũ sequebatur, quod multi etiam ex religiosis familiis cum cantu constipabant. Postremum se verberantium agmen subibat, quod nobiles fere omnes accensis funabulis deducebant. Non infima quoque nostrorum discipulorum laus fuit: hi bini Angelorum specie præibant, Christi ipsius patientis arma gestantes. Hæc igitur, quæ miris omnium sunt laudibus ornata, ne nos quidem silentio tegere volumus. Cætera quia communia tantum, filemus.

COLLE-



COLLEGIUM BAROLITANVM.

**E**X hoc Collegio admisit Deus ad immortalitatis præmia, vt eius bene acta vita spem affert, Prosperum Sorbatum Celentanum formatum Coadiutorem annos natum tres, & sexaginta, excellentis industriæ, & probitatis eximie virum; optimèque meritum, non de Barolitano solùm, sed de alijs nostræ Prouinciæ Collegijs, quæ quinque supra quadraginta annos, sua ope, & industria, subleuauit; præcipuè vero virtutum exemplis alijs profuit: erat is obedientiæ virtute apprime clarus, adeoque ad omnia indifferens, vt nulla ratione, quid sibi iucundius esset, ne rogatus quidem, ac fere à Superioribus coactus, aperire vellet. Si quis, præsertim agrotus, ab eo quidpiam peteret, hilarè dabat, verbis etiam quod aiunt, munus exornans. Omnium errores miro quodam verborum acumine, charitatis excusationisque pallio tegebat; omnesque quibus maxime poterat laudibus extollebat, & singulos de se, ac Collegio benemeritos, non obcuris vocibus declarabat. Eius in pauperes pietas singularis; nec mirum, cum & ipse paupertatis amator esset eximius, adeo vt nihil præter precatorios globulos, eosque pauperibus maxime accommodatos, & funiculos illos, quibus sæpissimè se acriter verberabat, & officium Beatæ Mariæ post obitum in ipsius cubiculo repertum sit.

**V**ERVM, vt multa alia silentio prætermittam; illud vnum non debet videri leuis esse momenti



menti, quod cum vndetriginta ipsos annos, quo tempore in Nolano Collegio vixit semper inter Rusticos nostrum agrum colentes, & sæpius in alijs Collegijs versatus esset, nihil vel ijs comunicasse, vel ab ijs accepisse, quod vitii specimen præferret, accepimus: imo tam suauem sparsisse virtutum omnium odorem, vt omnibus admirationi fuerit, & exemplo. Ita multis sane sanctimoniam, ac tranquilli animi, cum Deoque coniuncti datis signis, post sexagesimum tertium ætatis suæ annum mense Nouembri, ipso Sanctæ Ciciiliæ celebri die vigesimo secundo, hora secunda noctis, expirauit. Ex quatuor Sodalitatibus, quas hoc Collegium curat, Nobilium Congregatio alias, seque ipsam hoc anno superare visa est; nam in signum feruoris, ac pietatis erga Virginem Matrem, ipsius sodales ei locum à fundamentis quodammodo in meliorem fatis formam redegerunt: ab iisdemque ipso die Iouis sancto, celebratum primo est, insigne illud, & charitatis, & humilitatis officium, quo duodecim Christi pauperibus pedes abluerunt, nec sine eleemosynis eos dimiserunt. Discipuli, præsertim qui Dei Matris Sodalitate continentur, non minus in pietate, quàm doctrina proficiant: ex his vnus primarius bonæ spei adolescens, in Societate adolescentiam Deo optimo maximo consecrauit, plurimisque mens eadem est. Nullus fere est in hac vrbe, qui præsertim impendente mortis periculo, nostris sacerdotibus peccata non confiteatur, idque præcipue medicorum iussu efficitur, qui quoniam nihil, nisi nostros prius consuluerint, efficiunt, nulla ratione corpori medicamentum concedunt, nisi prius confessione, & Eucharistia, digniore medela animo



mo subuenerint.

N O N silentio prætereundum ducimus, fœlicem ex hac in meliorem vitam transitum viri cuiusdam nobilis, nostræ Societatis amantissimi, qui annos natus duos, & viginti, vtriusque iuris insignibus decoratus, vir singulari prudentia, benignis moribus, alijsque, tum viro nobili, tum Christiano homini necessarijs instructus virtutibus, cum per æstiuos calores Neapoli rediens Barolum matris iussu, in morbū incidisset; nihil habuit antiquius, quàm vt & vitæ huius vsum contemneret, & ad cælum aspiraret: ita vt tota in Deum coniecta mente, assidue nihil nisi cum Deo, de Deo, diuinisque rebus, & cogitaret, & loqueretur, & loquentibus attentas præberet aures, vltroque astantes ad pios sermones instituendos cōpelleret: ipse erat in ferendis doloribus, insignis patientia. Videbatur eo tempore tantis ardere diuini luminis radijs, vt è lecto tanquam è cathedra contemnendas diuitias, honores, aliaque id generis magno cum sensu, ac vi doceret; cumque impendere sibi mortis periculum agnosceret, mirum dictu est quam exultaret, mortemque vltimum terribilium lætus expectaret; quod eo admirabilius est, quod ipso tempore non leuiter præteritarum culparum (& si pauca, & leues esse poterant) recordatione cruciabatur: cui cum è nostris duos singulis diei ac noctis horis vicissim adstarent, atque alij etiam religiosi, vix poterant ipsius diuinarum audiendarum rerum desiderio satisfacere; aliquandoque mira quadam alacritate, atque animi promptitudine vni è nostris, eius confessario, dixit, Pater mortem non timeo, noui enim quo in statu nunc sim, futurum vero nescio: illud vnum mihi



michi displicet, quod mea mater assiduis precationibus videtur velle Deum ad sua vota trahere, mihi que valetudinem impetrare: verebatur enim, vt ipse aiebat, ne non adhibita beneplaciti diuini conditione, illam exposceret.

**I D E M** viro cuidam religioso magnæ auctoritatis, cum vt Deo ad valetudinem recuperandam preces offerret hortaretur, respondit, indignâ, ac leuis esse momenti illiusmodi petitionem; sarcophagum ad se ferri rogauit, quo mortuus condendus erat eo animo, vt ex eius respectu recreationem perciperet. Bis eo tempore confessionis sacramento expiatus; bis etiam Eucharistiæ cibo mirificè recreatus, idque tanto pietatis sensu, vt facile corpori etiam profuisse constaret. Singularis quoque humilitatis reliquit exemplum; nam præterquam quod de se ipso, deque suis meritis eo tempore ita afficiebatur, vt se cælo, diuinâque indignum misericordia iudicaret, etiam ab ipsismet famulis, ac famulabus singulis nominatim vocatis, manus vniuscuiusque deosculans, si qua in re eos vnquam offendisset, veniam quàm humillimè peteret: & aui, & matris deosculatus fuisset pedes nisi à circumstantibus, qui eius imbecillitatem norant, inhibitus fuisset: qui tamen facere non potuerunt, quominus matris, protento in terram brachio, pedes tangeret, sicque suæ quoquo modo satisfaceret humilitati, ac pietati. Obijt demum præferens tot, tantâque diuinæ prædestinationis signa, vt eius fama per totam vrbem peruaserit, ipsique religiosi viri simili optauerint mortis genere ex hac vita migrare; itaque non apud Deum solum, verum apud homines quoque pretiosa iustorum mors est. Ex hac vita migravit exeunte ipso



ipso die S. Michaëlis Archangeli, & ineunte die D. Hyeronimi, cuius ille nomen gerebat. Subleuatam est Collegium aureis ad minimum septingentis, in eleemosynam à variis nobis sponte, benignèque concessis.

## COLLEGIUM MASSÆ LUBRENSIS.

**Q**VONTIAM hoc primùm anno apertum est Massæ Lubrensis nostrorum Collegium, vt clarius Urbis nomen legentibus innotescat, breuiter hic de eius appellatione, ac situ non nihil attexam. Est ergo inter Insulam Capreas, Tiberii Cæsaris olim delicias, vetustissimamque Urbem Surrentum, mons non exiguus, arboribus, quæ illum vndique vestiunt, fontibusque, qui plurimis in locis hinc inde seaturiunt, & irrigant panè totum, iucundissimus, atque amænissimus. Ab oriente sole Surrentinis montibus adnectitur. Reliquus Tyrhæno mari vndeque alluitur. Eum inter, Urbemque toto orbe celeberrimam Neapolim, quam ad Pausilypi radices sitam ab Aquilone prospectat, millia passuum intersunt, terrestri quidem, triginta quinque, marino autem itinere, non amplius vigintiquatuor. Montis porrò fastigium ita ipsamet rerum parens Natura in semicirculum duxit, vt intuentium oculis, præsertim qua spectat occasum, theatralem exprimat formam. In hoc teatro Massa conspicitur, in Urbem, quam Episcopus incolit, & pagos distincta vigintiquatuor, illam quidem in medio conditam, hos autem circum, supraque per montem totum varijs  
in



in locis dispersos. Et quoniam in theatri sinistro pede Capreas versus, Mineruæ fuit olim delubrum, celebre satis, ac decantatum; hinc factum, ut è tribus Massis, quas in vniuersum habet Italia, in Tuscia, in Campania, & in Lucania, eam, qua de agimus, ad aliarum distinctionem, Massam prius ad Delubrum, dein etiam (mutato in peius, vel potius neglecto, & contemptui habito purioris illius linguæ antiquo nitore,) non delubrensem modo, sed lubrensem quoque, truncato nomine appellarint.

FERT illa homines ut plurimum valdè dociles, & ad studia pietatis natura ipsa proclives, ut non mirum sit in vnam Societatem nostram, ingressos esse adhuc è Massensibus ad triginta. Ex his cupientes nonnulli ciuibus suis, in rebus ad animi salutem spectantibus, gratū aliquod afferre præsidium, tentarunt diu Collegium apud eos nostris extruere; sed quoniam ob nimias, quæ hinc inde continuò prodibant, difficultates, irrito semper conatu res eis cessit, tamen, ut quâ possent patriam adiuuarent, frequentes illuc nostrorum excursions faciendas curarunt. Tandem ipsorum vota respexit Deus, atque ea, quam hic subiungam, occasione res illis accidit ex sententia. Est inter nostros Massenses sacerdos vnus, Vincentio Maio nomen est, vir quidem spectatæ probitatis, tantæque apud Neapolitanos Proceres auctoritatis, ut è totius regni primoribus viri multi, feminaeque illo vtantur, & ad confessiones Patre, & ad alia pietatis opera consultore, ac duce. Incidit is, anni aliquot sunt, in grauissimum vesicæ morbum (calculum similitudine mali decepti arbitrari sunt medici) eamque ob causam ad patrij cœli  
F experienda



experienda subsidia, Massam ad multos menses dimissus est.

D v m hic agit apud consanguineos remotus à nostris, ne diu suorum Patrum absentiam ferre cogatur in cogitationem venit extruendi apud Massenses Collegij. Communicat cum amicis civibus, & cum Dynastis aliquot Neapolitanis iniectam, ut ipse rebatur, à Deo mentem; rogat pecuniæ aliquod in eleemosynam, statimque (mira benignitas, ac liberalitas erogantium!) quæ promissis, quæ numeratò, aureorum accipit ad decem millia. Venitur continuo ad rem, deligitur area in satis lata planitie Massensis montis, in medio prorsus theatro, emuntur villulæ plures, redactæque in vnam solido, actutū, alto, & continenti muro cinguntur. Vix inuenias in toto Neapolitano Regno meliorem locum. Fontes in eo plurimi, purissimæ ac leuissimæ aquæ, vnus in primis tantæ vbertatis, ut hydromylam ad triticum frangendum efficiat; lucus aureorum, citriorumque malorum benè grandis; oliuetum non paruum; augustum pomarium ex arboribus cuiusque generis; ampla vinea; campus denique ad hortos ferendos, & sementem faciendam spatiosus, ac latus; ut necesse sit affirmare, in eius emptionem decem illa aureorum millia insumpta esse. Sed quid actum pro templo, & Domo? Repetitas eam ad rem eleemosynas ita abundanter ipsi, alijque viri pij suppeditarunt, ut nullo contracto aere alieno, ad fabricam, quæ in angulo villæ cœpta est construi, impensa facta sit adhuc ad aureorum triginta millia, nec dum quintam ædificiorum partem expletam dicunt. Enimuero nobilissimum opus est, adeoque magnificum, ut si primis, quod omnino speramus

ramus



ramus, extrema respondeant, affirmant periti Societatem nostram in vniuersa Italia, Collegium huiusmodi nunc quidem temporis non habere.

CONSTRUCTÆ sunt adhuc in quinta illa, quam diximus ædificiorum parte, præter futuri templi fundamenta, & atrium, quo nunc vtimur pro æde sacra, multasque ad domestica nostrorum munia officinas, Scholæ, Congregationes, & Camere viginti tres, augustæ satis laxæque. Ex omnibus, vel Massensis mons ab ortu solis, vel ab occasu subiectu mare cum insulis Nisidæ, Prochite, Ænaria, Capreisque prospicitur: Tandem ita omnia rectè, affabrèque facta, & distincta sunt, vt vel inuitos ad manendum inuitent. Interea dum hæc fiunt, à Massensibus duobus quadringenti auctei nobis, in annos singulos testamento relictis: trecenti à Scipione Maio, Vincentij nostri fratre germano, reliqui centum à Salvatore Pastua vnus è nostris amantissimo patruo. Iam verò ne Collegij huius tam feliciter incepti, ac promoti occasionem è manibus sibi labi paterentur, cogitarunt moderatores nostri ad Octobrem mensem, præter magistros tres, casuum conscientia, Humanitatis, & Grammaticæ, Rectorem, ac necessarios coadiutores, Patres etiam eò mittere cum suo instructore, qui in tertio probationis anno, iuxta Societatis institutum, exercendi sunt. Hi omnes viginti quatuor nostrorum capita confecerunt; Sacerdotum quatuordecim, magistrorum duo, coadiutorum octo: vt felicitate Massensis cæli, quod saluberrimū est, opportunisque Collegij commodis, quæ multa sunt, adiuti, facilius ad ea incumbere, quæ tali anno ab ipsis requirit Societas. Aperuerunt igitur Patri Maio



consilium, tantumque ille hoc nuncio delectatus est, ut pro capitibus viginti quatuor, tot enim in Collegio nunc degunt, ad victum, vestitum, & domesticam suppellectilem necessaria dicto citius, more suo, abundantissimè compararit. Quamobrem extremo Octobri Prouincialis ipse, cum alijs è Societate multis, ad ineundam Collegij possessionem, mari se Neapoli Massam contulit, ibique magna cum beneuolentiæ significatione exceptus est à Massensibus, tum ijs, qui vitam agunt in Patria, tum illis etiam, qui ferè Neapoli degunt; hi enim rem omnem subodorati, cimbis plurimis contenderunt in Patriam, ut primo illuc nostrorum aduentui interessent.

ALTERA luce, post sacrum à Patre Prouinciali in nostro Templo peractum, sermo etiam ad Massenses de Collegiorum nostrorum vsu, atque instituto ab eodem est habitus, tanta cum audientium approbatione, ac plausu; ut affirmarent vniuersi numquam locutum sic hominem fuisse, nec maius à præpotenti Deo beneficium, in ipsos conferti hoc quidem tempore potuisse. A prandio Humaniorum literarum Magister orationem ibidem habuit elegantissimam, de gloria Sapientis, itaque omnibus satisfecit, ut maximus continuò factus sit ad omnes scholas discipulorum concursus, tanta cum vniuersorum alacritate, ac ardore pietatis, ut ad studia feliciter, sanctiusque peragenda, generali se confessione omnes munierint. Atque hoc tandem modo, quod bonum, felix, faustumque Societati nostræ, ac Massæ Lubrensi sit, habitari cæpit nouum Collegium. Vacabat, tum temporis Massensis sedes Episcopo; licet enim paulo ante à sanctissimo Domino nostro Paulo Quinto  
ad



ad episcopatum hunc promotus esset, Reuerendissimus frater Augustinus Quintio ex Prædicatorum Patrum Dominicana familia, Pontifex olim Curzulensis in Dalmatia, non dum tamen ad Ecclesiam suam aduenerat. Rescuiuit igitur summus Pontifex sælicem nostrorum ad urbem Massam accessum, eaque de causa cum discessuro Episcopo postremum benediceret; Abi, inquit, frater hilaris, ac lætus, urbem enim petis nouo quidem, sed celebri, ac Magnifico Societatis I E S V Collegio illustratam, quod ad Episcopale onus ferendum multos tibi, ac strenuissimos adiutores dabit: præterquam enim quod rectis moribus, ac vitæ sanctimonia populum tibi creditum ad bonam frugem instituent, teneros quoque puerorum animos, quod ab Episcopis maximoperè optandum est, cum studijs litterarum bonarum, Christianis etiam institutis erudient.

QVI BV S Christi vicarij dictis cum annuisset Episcopus; Sic prorsus, inquit, se res habet Beatissime Pater, maiorémque hoc nuncio concepi lætitiã, quam si certus de nobili thesauro inueniendo Massam discederem. Atque hinc fuit, cur non multò post suum ad hanc urbem aduentum, qui honorificus fuit, & sollennissimus, Rectorem Collegij, cum Patre Maio ad prandium amantissimè inuitarit, seque ad nos insequenti luce inuisendos contulerit. Exceptus est in Collegium non minus breui, quam bella, & erudita oratione, quæ in laudem Episcopi coram Regio urbis Prætoze, multisque Massensibus suum ad nos præsulem comitatis, habita est à Magistro scholæ superioris; cuius classis sericis Aulæis, versibusque varij generis per totum operta, iucundissimum in-



tuentibus præbebat aspectum. Nec siluerunt interea discipuli. Vbi Magister perorauit, ipsi etiam epigrammata aliquot Antistiti recitarunt, ita bel-  
 lè, ac lepidè, vt singulos Episcopus amplexatus  
 verissima esse professus sit, quæ sub suum Roma  
 discessum, à summo Pontifice de Massensi Colle-  
 gio audierat: reque, vti nos scripsimus, explicata,  
 grauem ad Massenses exhoratiunculam addidit,  
 tum ad agendas Numini gratias pro Societatis  
 Collegij erectione, tum ad occasionem accipien-  
 dam suos liberos doctè simul, & Christianè insti-  
 tuendi. Post hæc dimissis, qui aderant, omnibus,  
 solus apud nos pransus est magna cum familiari-  
 tate, & beneuolentia; sub discessum Sacerdotes  
 omnes ad Christianam doctrinam rudibus expli-  
 candam, concionesque per totam Diæcesim ha-  
 bendas, ritè approbavit. Quod causa fuit cur ter-  
 tij anni Sacerdotes, qui adhuc duodecim sunt,  
 suam operam in huiusmodi exercitationibus, &  
 foris, & in vrbe collocare iam cœperint.

Q V A N T V S autem Massensium puerorum in  
 addiscendis Christianæ vitæ præceptis, & rudi-  
 mentis feruor sit, ac alacritas, tria illa declararunt.  
 Non dum præterierat mensis ab initio explicati  
 Catechismi, cum pueri spirituales illas cantiuncu-  
 las, quas in nostro templo cum catechismo di-  
 dicerant, caternatim per urbem, præsertim sub  
 Collegij nostri fenestris occinere, magna cum ci-  
 uium admiratione, gaudioque cœperunt. Vnus ex  
 eis pænè infans, cum forte Sacerdotem nostrum  
 offendisset in via, erat autem profestus dies, ab  
 coque petijisset, num ea luce apud nos exponere-  
 tur Christiana doctrina, audiuit id profus quod  
 erat, nimirum insolentes esse laboriosis diebus ex-  
 plicationes



plicationes huiusmodi. Tum puer; ergo, inquit, Christianam doctrinam hodierna luce non audiam: fac rogo Pater, ut audiam. En ego pueros contocabo; quid enim apud nos valeat festorum, ac profestorum dierum ista distinctio? Nec mora, dat se cursui, circumit vias, aduocatosque socios magno numero, in nostrum templum adducit; ut necesse omnino fuerit illis de victoria triumphantibus, in morem diei festi catechismum exponere. Alter quidem nouennis audita apud nos concione, concionatorem adit, eique habere se in votis societatem exponit; subridet noster, pueritiamque, ne dicam infantiam loquenti obijciens, hæc audit; Ne quæso me rideas Pater; religionem sic loquentium virorum matrem exopto; scholas vestras frequento, cæptis insistam, dum maturior ætas adueniat. Quid igitur ridendum me, an laudandum existimas? Laude inquit Pater, non risu es dignus; perge itaque & literarum studia cum pietate coniunge, ut cum aptus dies affulserit, optatis votis fruaris.

SEU ut pueros relinquamus, instituta est grandiorum varij generis, sub tutela Deiparæ virginis congregatio satis dignis initijs, crescitque in dies admirandum in modum; frequentant illam ad septuaginta, regiumque sibi vrbis Prætorem, nostri ordinis amantissimum: præfecerunt assiduique sunt omnes in concionibus, nostro in templo audiendis, ut non immeritò cum ad DEI verbum frequenter excipiendum, tum ad pænitentiam, communionisque mysteria obeunda, maximam ciuitatis partem exemplo suo allegerint. Id vero si alijs in Collegijs inter communia fortasse numerandum esset, at certè in vrbe Massæ maxi-



mi fieri, & in præcipuos Societatis fructus referri debet; tùm quod ante nostrorum aduentum inuisa erat, & inaudita extra paschales ferias sacramentorum susceptio, tùm præsertim quòd pluri- mi, & frequenter, & apud nos dumtaxat id faciunt, vt necesse fuerit die quodam festo Reuerendissimo Antistiti, sacrum in nostro templo post duos fermè menses, à suo ad hanc urbem accessu facienti, centum, & eo amplius capita cœlesti epulo reficere: cum ne vni quidem ex quo Massam attigerat, in alijs sacris ædibus diuinum panem porrexisset, nostrique contrà eodem die ante sacrum Episcopi, alios ad minimum trecentos Angelorum esca pauissent.

Vix autem rescita sunt hæc Surrenti, cum statim approbante Surrentinorum Archiepiscopo, Neapoli ob malam valetudinem degente; à pijs quibusdam viris petiti sunt è nostris aliqui ad urbem, ac Diæcesim Surrentinam similibus piorum operum exercitationibus adiuuandam. Missi igitur ad eam vineam, in ipso peruigilio Natiuitatis Domini operarij quatuor, duo quidem ad urbem, reliqui ad loca proxima: ab omnibus conciones varijs in locis habitæ, confessiones plurimæ audita, & quidem multorum annotum non pauca; tùm ob solemnissimam Dominicæ Natiuitatis celebritatem, tùm ob auctoritatem, amantissimè ab Archiepiscopi, per litteras consentientis, Vicario nobis factam, absoluendi pœnitentes ab omnibus etiam sibi reseruatis. Tandem ita omnibus satisfactum, vt discedentes, multi viri nobiles extra urbem, honoris causa associauerint. Præter ea, quæ dicta iam sunt, duo euenerunt in construenda fabrica, vel omnino miracula, vel illis valdè similia.

Erant



Erant die quodam, dum fundamenta iacerentur ad terram altius effodiendam, murarij tres in vna eadēque fossa quadraginta palmis profunda, lata vero non amplius septem; interea cum vnus crassiores, ac rudiores, vt solet, lapides ad aliam replendam foueam, è grandi cophino deorsum, immitteret, deceptus miser fossarum multitudine, in eam vbi tres illi erant, semel deiecit. Magnum sanè periculum; sed maior Dei benignitas ita lapides omnes, qui nec parui, nec pauci erant, disiecit in via, vt in imum magno cum impetu decedentes, è tribus illis miseram, ac subitam mortē ex eo casu expectantibus, nullum attingerent. Die alio, dum vnus ex ijsdem murarijs fossam aliam profundiorē ligone facit, ecce tibi densioris terræ prægrandis moles ex alto corruens certam misero, præsentēque mortem intentat. Sed adfuit periclitanti, & metu penè iam mortuo Diuina bonitas, moles enim illa telluris ita deorsum recto tramite, vel decidit, vel cœlitus lata est, vt & fossam reliquam vndequaque oppleuerit, & tantum solummodo spatij reliquerit vacuum, quantum infœlicem hominem caperet. Clamat, itaque actutum, inclamat socios, rogat auxilium. Accurrunt omnes continuo, reque perspecta miraculum ore pleno conclamant. Nec mora extractus miser, quā potuit è fouea, post gratias de tam insigni beneficio numini actas, perpetuo se voto deuinxit, quoties hebdomadis singulis dies ille recurreret, solenni ritu ieiunandi.

P R O.